HENNINGI ARNISÆI
Halberſtadienſis,

DE

AUTORITATE
PRINCIPUM IN POPULUM SEMPER INVIOLABILI

Seu

QUOD NULLA EX CAUSA SUBDITIS FAS SIT CONTRA LEGITIMUM PRINCIPEM ARMA MOVERE,

Commentatio Politica

OPPOSITA

SEDITIOSIS QVORVNDAM SCRIPTIS, QVI OMNEM Principum Majeſtatem ſubjiciunt cenſuræ Ephororum & populi.



ARGENTORATI.

Sumptibus Hæredum LAZARI ZETZNERI.

Anno M. DC. XXXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI
ac Domino

DN. CAROLO FRIDERICO, MUNSTERBERGENSIUM IN SILESIA ET OLSnenſium Duci, Comiti Glacenſi, Domino Sternbergæ, Jeiſchvvitii, & Meſibori &c.

Domino ſuo clementiſſimo.

C*Um ex Megarenſibus quiſpiam nimis pro imperio loqueretur, Lyſander, non ſine ſpecie reprehenſionis,* Verba tua, *ajebat,* indigent civitate majore. *Ego quoque Illuſtriſ: princeps, ubi libelli hujus, Clientelæ & patrocinio tuo humiliter committendi, argumentum recogito, eò majori mihi opus eſſe patrono intelligo, quo plures videntur ipſi imminere adverſarii. Quam enim difficile ſit inveteratam longo errore opinionem, præſertim, quæ votis noſtris conſentit, fortiori rationum mole & evidentia expugnare, Comicus ille ſubindicare voluit, qui nunquam, ut ſecundus in theatrum prodiret, adduci potuit, laudem omnem præverti exiſtimans ab ijs, quibus contigerit primis animos ſpectatorum invadere, & actione ſua præoccupare, idq; potiſſimum, ſi foro ex arte uti ſciant, & plauſibili in vulgus lepidove invento ſibi devincire eos, qui gaudent Floralibus. Naturali enim pondere maxima pars noſtrum, decepta cupidine*

Digitized by Google

falſi, vergit à ſeriis ad nugas, & quæ libenter cupimus libenter audimus. Nemo quippe noſtrum eſt, adeò à ſui amore alienus, qui non ſibi benè malit eſſe, quā alteri, & ſicut Romæ, cum Mathematicus annū parturire Regem prædixiſſet, communibus votis interceſſum eſt Senatusconſulto, quo vetabantur iſtoc anno tolli infantes, eò quod ſpē naſcituri principis quiſq; eorū, qui domi gravidas habebant uxores, ad ſe traheret: ita in Republ. nemo eſt ex altioris animi civibus, qui non occultis ſuſpiriis imperium affectet, tacitoq; judicio, id ſibi deberi præ aliis, decernat. Quin etiam multos ad quoſcunque principis, ſive ex leviculа incuria, ſive ex imbecillitate, ſive quod multitudo negotiorum & imperioſa Neceſſitas non aliter ferant, errores excandeſcere, & illud in ore promptum habere videas: Me Regem factum oportuit. *Ex quo fit, ut nulla pagina gratiùs à vulgo legatur, quam, quæ ſceptra Regum & principum ſubijcit plantis populi, nec ulla diſputatio magis invitas ſubeat aures, quā quæ vindicias promittit ſecundū autoritatem principum. Quis eſt, qui abſolutā principum poteſtatem tanquā tempeſtatem Tyrannicam & pernitiem populi non inſectetur, & cæco Zelo condemnet? quaſi jus ſuum principibus aſſeri nequeat, niſi impunè ijs, in ſubditorum fortunas & vitas graſſandi feneſtra aperia-*

tur

tur. Quis è contrario non ſuſpicit & admiratur vindicias Bruti, quia ſecundum libertatem populi aſſertæ videntur. Et hic quidem tam ſolerter fabulam egit, ut multis quoque doctis viris, ſed inconſiderato impetu in aliorum ſententiam euntibus, os mellita offa ſubleverit. Æquè enim mihi videntur peccare, tam qui principibus imperium per fas & nefas ex præſcripto Machiavelli ſtabilitum eunt, quam qui ad injuſtum pileum conclamant ſubditos, & non ſine ſacrilegio, rerum omnium ſummam detrahunt ad favorem popularem. Utrique procedũt per inexcuſabiles injurias, ſed deterius, qui populo, quam qui principi ſupparaſitantur. Nam ſi princeps non ſoli cœlo, ſed & Ephoris ſive ſubditis ſuis rationem geſti imperij reddere ex lege obligatur, quemadmodum Reges Lacedæmoniorũ Ephori ſingulis menſibus ad jus jurandũ adigebant, bellum, in quam collibuiſſet, regionem, ducere jubebant, ſuſpectos domum revocabant, & in carcerem compingebant, qua quæſo in re differt à Magiſtratu precario? Aut, quid obſtat, quò minus una linea inducamus Monarchias & Ariſtocratias, ſolo imperio populari contenti? Nec enim ex forma gubernationis æſtimamus formam Reipubl. cum popularis Status regiè, aut regius populariter ſæpe adminiſtretur, radice poteſtatis non defluente ad

Digitized by Google

eos, qui præficiuntur, ſed firmiter inſiſtente autoritati illius unius, qui præficit, & movet omnia, ipſe immobilis, ſicut

medium non deſerit unquam
Cæli Phœbus iter, radiis tamen omnia luſtrat.

Libertatis Romanæ, exactis regibus, originem inde magis, quia annuum imperium Conſulum fiebat, quam quod diminutum quicquam eſſet, ex poteſtate regia, accerſit Livius. Omnia jura, omnia inſignia primi Conſules tenuêre, eoſque regio imperio præfectos ſcribit Cicero. Quin tamen ſumma rerum reciderit ad totum populum, neminem huc uſque reperi, qui ambigeret. Non enim Monarchiam definimus ex eo, quod Rex munera Reipubl. ſuâ operâ expediat, ſed quod officia Magiſtratuum omnia ad ſuum tribunal revocet, & ab iis geſta, vel rata eſſe jubeat, vel irrita, quod officii genus novi Rerumpubl. cenſores heri atq; hodiè inventis Ephoris aſſcribunt, quemadmodum Caſimiro III. ex hac lege Poloni obrogarũt quatuor ſenatores, & Angli Richardo II. non pauciores, adjectis Tribunitiis minis, ſi ab eorum præſcriptis vel latum digitum abſcederent. Eſſeni mendacii jam condemnatum putabant, cui ſine Deo aut injurato non crederetur. Quanto graviori ſacrilegio fides detrahitur principibus, quando non ſecus ac prodigis tutores, pueris præceptores, cæcis duces: ità ÿs cuſtodes adjiciuntur.

Qui

Digitized by Google

Quo enim inaudito tropo Rex vocatur, qui non regit, ſed regitur, princeps, qui non praeſt, ſed ſubeſt, Monarcha, cui obſequendi tantum, quocunq; ab Ephoris impellatur, gloria relicta eſt? Ita libertatis dulci ſucco oblinunt Dæmagogi amarum bonarum Rerump. venenū, quod incauto populo propinant, & ipſum ut Græci mutuis cladibus, falſæ libertatis amore, attritos, externæ potentiæ Macedonum & Romanorum ſe quaſi ludibrium proſtituerunt, in præſentaneam & ſera pœnitentia dolendam perniciem præcipitant. Quod cum ſeriò agant nonnulli hujus ævi ſcriptores, licet agere aliud videri velint, & eò jam audaciam, ſacrarum literarum fuco deceptam, deduxerint, ut Maximorum quorumque Regum & principum hinc inde labantia cadavera, lachrymis piis quidem, ſed heu nimium ſeris, & nihil profuturis deflere cogamur, non dubitavi quædam hujus argumenti ſcripta ad limam veritatis revocare, & quam ſubdolè autoritate ſacrarum literarum ad ſacrilegia ſua excuſanda, nec non bonis rationibus abutantur, paucis breviterq; ob oculos ponere volui, quod quia publici juris ſine magno patrono, cum de re agatur non parvi præjudicij, facere auſus non fui, ſubiit mihi idipſum, quantillum eſt, ad tuam Celſit. Illuſtr. princeps, & tua ope & commendatione ad Sereniſſ. parentem deferre, quo

nec ma-

Digitized by Google

eos, qui præficiuntur, ſed firmiter inſiſtente autoritati illius unius, qui præficit, & movet omnia, ipſe immobilis, ſicut

medium non deſerit unquam
Cæli Phœbus iter, radiis tamen omnia luſtrat.

Libertatis Romanæ, exactis regibus, originem inde magis, quia annuum imperium Conſulum fiebat, quam quod diminutum quicquam eſſet, ex poteſtate regia, accerſit Livius. Omnia jura, omnia inſignia primi Conſules tenuêre, eoſque regio imperio præfectos ſcribit Cicero. Quin tamen ſumma rerum reciderit ad totum populum, neminem huc uſque reperi, qui ambigeret. Non enim Monarchiam definimus ex eo, quod Rex munera Reipubl. ſuâ operâ expediat, ſed quod officia Magiſtratuum omnia ad ſuum tribunal revocet, & ab iis geſta, vel rata eſſe jubeat, vel irrita, quod officii genus novi Rerumpubl. cenſores heri atq; hodiè inventis Ephoris aſſcribunt, quemadmodum Caſimiro III. ex hac lege Poloni obrogarũt quatuor ſenatores, & Angli Richardo II. non pauciores, adjectis Tribunitiis minis, ſi ab eorum præſcriptis vel latum digitum abſcederent. Eſſeni mendacii jam condemnatum putabant, cui ſine Deo aut injurato non crederetur. Quanto graviori ſacrilegio fides detrahitur principibus, quando non ſecus ac prodigis tutores, pueris præceptores, cæcis duces: ità ijs cuſtodes adijciuntur.

Quæ

Quo enim inaudito tropo Rex vocatur, qui non regit, ſed regitur, princeps, qui non praeſt, ſed ſubeſt, Monarcha, cui obſequendi tantum, quocunq; ab Ephoris impellatur, gloria relicta eſt? Ita libertatis dulci ſucco oblinunt Dæmagogi amarum bonarum Rerump. venenũ, quod incauto populo propinant, & ipſum ut Græci mutuis cladibus, falſæ libertatis amore, attritos, externæ potentiæ Macedonum & Romanorum ſe quaſi ludibrium proſtituerunt, in præſentaneam & ſera pœnitentia dolendam perniciem præcipitant. Quod cum ſeriò agant nonnulli hujus ævi ſcriptores, licet agere aliud videri velint, & eò jam audaciam, ſacrarum literarum fuco deceptam, deduxerint, ut Maximorum quorumque Regum & principum hinc inde labantia cadavera, lachrymis piis quidem, ſed heu nimium ſeris, & nihil profuturis deflere cogamur, non dubitavi quædam hujus argumenti ſcripta ad limam veritatis revocare, & quam ſubdolè autoritate ſacrarum literarum ad ſacrilegia ſua excuſanda, nec non bonis rationibus abutantur, paucis breviterq; ob oculos ponere volui, quod quia publici juris, ſine magno patrono, cum de re agatur non parvi præjudicij, facere auſus non fui, ſubiit mihi idipſum, quantillum eſt, ad tuam Celſit. Illuſtr. princeps, & tua ope & commendatione ad Sereniß. parentem deferre, quo

nec ma-

nec maiorem mihi parare Mecœnatē potui, nec qui promtiùs votis meis annuere velit, quippe jam olim inconſulta, & ſi liceret, magno redimenda ſuorum perfidia agitatus. Nullibi enim locorum ignoratur, quanto conatu tota Sileſiorum inclyta natio, patrocinium eius, ſub quo non ſecus ac ſub ramoſa arbore in utramq; aurem ſecura quieſcit, ambiverit, quam facilè novis & antehac inſuetis eorundem poſtulatis, Imperatoria Majeſtas, calculum adjecerit, quanto deniq; applauſu ubiq; exceptus ſit, cum vel dignitatem illam primus iniret, vel, quæ ad eam ornandam facere videbantur, per regiones circumeundo diſponeret. Et dubitem adhuc, ſub hujus tanti principis patrocinio tutus eſſe, ſub quo tota Sileſia non dubitat violentum quemq; provocare hoſtem.

Tibi verò, Illuſtriſſ: princeps, inſcriptionem hanc relinquere volui teſtimonium ſubmiſſi animi, & Clementiæ tuæ favorē erga ſe perenniter continuatum cupientis. Quod ſi poſt aliquot meſſes te quoq; illius temporis admoneat, quod Auguſtiſſimi fratris tui Henrici VVenceslai veſtigia ſecutus, auſpitijs Sereniſſimi Electoris, in hac Academia, animo ad altiora, quibus à proavis deducta indoles te deſtinat, excolendo impendiſti, nihil ſupereſt, niſi ut lætus ſalutem portum, quem me attigiſſe gaudeo. Scriptū Francofurti ad Viadrum, die 14. Febr. Anno 1612.

T. Celſit:

Subjectiſſ.

Henningus Arniſæus D. & Profeſſor.

Digitized by Google

DE VI IN PRINCIPEM SEMPER INJUSTA,

CAPUT I.

Proponitur ſtatus controverſiæ, & præmittuntur fundamenta, ad eam cognitu neceſſaria.

SUMMARIA.

1. *Enarrantur autores, contra quos hæc diſputatio præcipue directa eſt.*
2. *In hac diſputatione non comprehendi peregrinos, qui non ſint ſubditi.*
3. *Utrum ſubditis liceat rebellionem excitare contra principem.*
4. *Alij principes conſtituuntur ex pacto mutuo inter ſe & populum.*
5. *Alij abſolutè ſine limitatione tranſeunt in jura regia.*
6. *Subruitur fundamentum adverſariorum, quo probant populum & Regem eſſe duos correos promittendi, & hinc tam incumbere populo curam religionis, quam Regi.*
7. *Subruitur alterum, quo dicunt inter principem & populum ſemper intervenire pactum expreſſum vel tacitum, ut non obediatur, niſi bene Imperanti.*
8. *Judæis nunquam conceſſum fuit arma capere contra Reges legitimos.*
9. *Ab una Reipub. particulari, ad quàvis aliam non valere conſequentiã.*
10. *Evertitur aliud fundamentum ex natura conſtituentis & conſtituti deductum.*
11. *Non omne, quod conſtituit, ſuperius manet conſtituto.*
12. *Non omne imperium acceptum referendum eſt arbitrio populari.*
13. *Refutatur aliud argumentum, à Vasquio in medium propoſitum.*
14. *Non præſumitur in conceſſione poteſtatis populus ſibi retinuiſſe jus revocandi.*

PHariſæos quondam, genus hominum aſtutum, arrogans, Regibus ipſis infeſtos fuiſſe, adeò ut eos apertè oppugnare non veriti fuerint, probat Joſephus 17. *Antiq.* c. 3. ex eo, quod cum jam tota gens Judæorum fidem Cæſari obligaſſent jurejurando, ipſi ſoli maluerint, non tantum bonis multari, ſed & periculum vitæ incurrere, quam magiſtratui cum cæteris ſe ſubjicere. Horum veſtigiis incedunt non pauci ex recentium ſcriptorum numero, qui cum ſint de populo, ut ſuo ordini quiſque impenſius favet, quam alteri, populi partes ita agunt contra principes, ut ſatis non habeant, ſi ab obedientia populum liberent, quando princeps degenerat, niſi ſubditis quoque poteſtatem & jus tribuant in ipſos reges, & ſubverſo naturæ ordine, ex parentibus imperantes, ex ſubditis Reges, ex vulgo faciant principes. Multi quaſi bonitati cauſæ diffiſi, ne

Autores opinionis, quæ hic impugnatur.

1. *Brut.* nomina quidem ſua adjicere anſi ſunt. Fictum quippe nomen Bruti vindiciis datum, nemo inficiatur, cum iiſdem auſpiciis, quiſquis autor fuerit ſcripti tam petulantis, viam affectet ad legitimos principes calamo, quibus excuſſit Brutus ſuperbi Tyranni jugum gladio. Peregrinus

Roſſæus. item Roſſæus, qui de juſta Reip. in principem poteſtate, librum promulgavit in Belgio plenum calumniarum, & puerilium tam in Theologia, quam Politica errorum, nominis ſui diſſimulatione indicare voluit, quid deſcripti totius argumento ſuſpicandum. Nam qui vel luce indigna tractat, vel iis occupatus eſt in paradoxis, quorum fallacia à Sole facilè detegitur, lucem fugit: Ideoque nec vulgaris libellus, qui de *officio magiſtratuum* inſcribitur, & Magdeburgenſibus aſſcribitur à Gulardo, *in collectaneis rerum memorabilium ſub Carolo IX. Gallorum Rege*, parentem ſuum, quaſi vulgo quæſitus, aut ſuppoſititius fœtus, laudare poteſt Etiam Papicolæ mirificè ſe torquent de oratione Sixti V. pro cæde Henrici III, quam nec abjurare poſſunt, nec apertè tueri audent, cum argumentu[m] o tractet & ſua natura vel primo intuitu funeſtum, & rationibus nihilo melioribus idem ſtabiliat, *ut videre eſt apud Tort. in Apol. & Epiſc. Ciceſtr. in reſponſ. pag. 241.* Inventi tamen ſunt etiam ex viris, alioquin doctiſſimis, qui vel nimio partium ſtudio de induſtria, vel inconſiderato Zelo ſententiam & argumenta illorum in ſua ſcripta

Buchan. tranſtulerunt. Nam Buchananus, acerrimus Regiæ poteſtatis inſectator, & vulgi fautor, *in Dialog. de jur. regn. Scot.* licet proponat de regni Scotiæ jure tantùm agere: theſin tamen ad omnes alios principes cir-

Hottoman. cumducit, & uno ſtylo omnes perfodit. Hottoman. qui & autor vindiciarum falsò creditus fuit, *in Francogallia & libr. de jure regn. Gall.* pari artificio, quaſi acturus de ſola Gallia, poteſtatem principum impugnat

Bucher. univerſim: Nec Bucherii argumenta, *in libris de abdic ti. Henrici III.* deſæviunt in ſolis Regibus Gallorum, ſed idem periculum minitantur regibus quibuſque abſoluta poteſtate, quam nos Majeſtatem vocamus,

Antimach: præditis, quibus licet adjungas multas diſputationes ex *Innoc. Cent: con-*

Althuſ: *tra Machiav.* & qui uno impetu Brutum ſequũtur, Althuſ. *c. 14. & 15. Polit:*

Hænon: Hœnon. *diſp. 2. & 9. Polit.* Danæ. *c. 3. q. 4. li. 6. Polit.* Caſman. *c. 10. Polit.* Trã-

Dana: ſcripſit etiam Obrecht. *diſp. 1. de bell. à n. 146. uſq; ad n. 199.* quædam Bruti

Caſman: argumenta, quibus certè vehementer miror quod vir tam prudens, ſuũ

Obrecht: adjecerit calculum. Quin ejuſdem opinionis ſit Bellarm. unà cum

Bellarm: Pontificiis cæteris, qui Papæ ſupremum tribuunt dominium, extra controverſiam eſt Nam *5. de Pontiſ. c. 8. in pr.* Oziam & Athaliam, affert à ſolio, juſſu Pontificis, ope populi dejectos: *c. 7. libr. Ejuſd.* Ex paſtoris

circa

Digitized by Google

circa Lupos & Arietes cura, idem deducit, quod ſcilicet Papa poſſit privare Reges dominio, ex quo oſtendimus alibi adhuc graviorem educi conſequentiam, nimirum, quod non tantum dominio, ſed & vita eos privandi licentiam habeat, quod ex traditis à Gregorio Satyro *in clav. Reg. l. b. 7. c.* 11. *n.* 1.. contra ſententiam Bellarmini jam aliàs evincit Widringt *in Apolog. pro jur. princ. n.* 48. ſed & principem eſſe propter populum & Eccleſiam, eo ſenſu, quo eodem argumento utuntur prædicti autores, docuit alibi, & principatus tradi ex lege & autoritate humana 1. *de Pontif. c.* 7. 1. *de transl. imp. c.* 3. *contra Barclai. c.* 5 21. 37. 38. *&c.* & populum nunquam ita ſuam poteſtatem in Regem transferre, quin illam ſibi in habitu retineat, ut in certis caſibus etiam actu recipere poſſit. *in Recogn. lib.* 3. *q. de Laicu.* Trahunt in ejuſdem ſententiæ favorem, Johannem Saresber. *in Policrat. lib.* 8. nec non Thomam Aquin: 1. *de Regim. princ. c.* 6. dicentem: *Si ad jus multitudinis pertineat ſibi providere de Rege, non injuſtè ab eadem Rex inſtitutus poteſt deſtitui, ſi poteſtate regni Tyrannicè abutatur.* Verum de illius verbis & ſententia paulò poſt videbimus, hujus autoritatem nihil moramur, quia quicunque fuerit libri iſtius autor, ad Thomam referri non poteſt, quia Scipiones & Cenſorinos dignitatis nomina facit apud Rom. quia mentionem facit Alberti Imperatoris, cujus tempora Thomas non attigit. qui Chriſti ſucceſſorem vocat Petrum, quam phraſin & Catholicis & ipſi D. Thomæ repugnare, advertit Bellarm. *in præfat. libr. contr. Barcl.* quia Marchionem derivat à juſtitiæ ſeveritate, ſcilicet à Marcha quam dicit ſingulare divitum pondus, per quod ſignificetur recta rigida juſtitia: & quia præterea multa alia inconcinnè & præpoſterè proponit, ob quæ exautoratur etiam à Cujuac. 1. *libr. feud. t.* 1. Sigon. *libr.* 17. *hiſt. Ital.* Barclai. *lib.* 6. *contr. Monarch. c.* 20. Alber. Gentil. *in lib. de vi in princ. ſemper injuſt.* *Sarerber. Aquin.*

Status autem & nodus controverſiæ conſiſtit in eo: *Utrum ſubditi regem legitimum, ſi degeneret & improbè præſit Republ: licita legitimave poteſtate, pro jure ſuo judicare, & à ſolio pellere poſſint: hoc eſt: Utrum fas ſit ſubditis ullo in caſu arma induere contra juſtum principem.* De ſubditis tantùm loquor, quia peregrini jus Majeſtatis non lædunt, nec, quod hinc denominatur, crimen incurrunt, ut *lib.* 3. *de jur. Majeſt. c.* 6. *nu.* 12. demonſtravimus, quoniam fide & religione peregrino Regi ſe non obſtrinxerunt, qua de cauſa eos ab hac quæſtione ſtatim in principio eximit Johannes Saresber. *in Polycr. libr.* 8. *c.* 20. quando inquit: *Quod autoritate divina pagina licitum & glorioſum eſt, publ cos Tyrannos occidere, ſi tamen fidelitate non ſit Tyranno obſtrictus interfector, aut* *2. Status controverſiæ. Peregrini eximuntur ab hac diſputatione.*

 aliàs

aliâs juſtitiam & honeſtatem non amittat. Et paulo poſt: *Hoc tamen docent hiſtoriæ ſacræ cavendum, ne quis illum moliatur interitum, cui ſidei aut ſacramenti religione tenetur aſtrictus*, in cujus ſententiæ confirmationem adducit Davidem, qui Sauli pepercit, confiſus de miſericordia Dei, qui eum ſine peccato poterat liberare. Quin & Chæreæ nihil tam objectum memorat Joſeph: *c. 3. lib. 19. Antiq. jud.* quam quod cum perfidia herum ſuum trucidaſſet. Iael vero non reprehenditur in ſacris literis, quod Siſſeram, ad ſe ex fuga divertentem, clanculum occidiſſet, quia non erat ſubdita, *Iud. c. 4.* ſicut & Hercules, Dion, Timoleon, Aratus, Reſpubl. Lacædemoniorum ab hiſtoricis multis cumulantur laudibus, quod injuſtos populorum oppreſſores ſuis vel viribus vel artibus edomuerint, quod ipſis ſine injuria cujuſque fuiſſe integrum tradunt Bodin. 2. *de Republ. c. 5.* Tholoſan. *l. 6. ult. de Rep. c. ult.* quia publica mala arcere cuivis licet, qui arcendo non peccat. Non peccat autem, quem religio à facinore non prohibet.

5. De ſubditis enim meritò dubitatur, utrum fidem ſemel datam legitimo principi, ſi is officium forte deſerat, religionem mutet, ad crudelitatem, ſcortationem, ebrietatem, negligentiam, aut alia id genus vitia, ad quæ nimia licentia & poteſtas abſoluta, multorum animos, non ſatis ad virtutes obfirmatos invitare conſuevit, declinet, frangere & obedientiæ jugum excutere, licitè & de jure poſſint. Sic enim vulgus credit, perſuaſum ab iis, quos Demagogos vocat Ariſt. *in Polit.* & ſeditioſi ſcriptores inclamant qui Reges & principes non alio cenſent eſſe loco, quam Medicos, qui ægrotis quidem vivendi præſcribunt regulas, ſed quam diu ipſis videtur. Alber. Gentil. *de poteſt. reg. abſo.* Ita nimirum ex regibus faciunt precarios magiſtratus, tam diu obſequentem habituros populum, donec ex cauſa, juſta an injuſta, jubeantur à ſcena decedere & ſucceſſoribus locum facere. Cui enim ignota vox vulgi: *Fidelis Herus Fidelis Servus:* Item: *Si princeps promiſſa ſervat, & nos ſervabimus*, quod Brutus ferè totidem verbis exprimit: *q. 1. Bene Imperanti, benè obtemperandum*, & Althuſ. cap. 14. *Polit: Populus obligatus eſt conditionaliter, ad obtemperandum magiſtratui, ſi nimirum juſtè & piè imperaturus eſt.* Latius Gregorius VII. qui primus audaciæ ſubditorum, in perniciem principum conjuratorum, feneſtram aperuit, cum Romanos ab obedientia Henrici IV. abducere allaboraret his verbis: *Quemadmodum militem ignavum Imperator exauctorare poteſt: Ita militi Ducem injuſtum deſerere licet.* Avent 5, *Annal. Boj.* Autor, ſive unus ſit ſive plures, libell *de off. magiſtr.*

Error Vulgi.

cum

cum Dan. 9. *polit. Aphor. 2. de off. mag.* explicatè proponit: *In contractibus, licet a conventione alteri contrahentium reſilire, quando alter in complendis conditionibus deficit. Atqui regna & principatus dantur per contractus. Ergo ſi ab articulis contractus recedunt principes, non debet obligatio nocere ſubditis, tanquam parti immeritò læſæ, cum ſuo peccato nemo lætari debeat, nec alterius injuria verti in detrimentum partis innoxiæ.*

Priusquam verò perſonatis hiſce argumentis larvam detrahamus, præſupponendum eſt, duos eſſe ordines principum: Alios *poteſtatis abſolutæ*, ſeu *Majeſtatis integræ*, alios *ex pactis conventis inter Imperantem & parentes limitatæ & certis conditionibus circumſcriptæ*. Cunerus ſiquidem *de off. princ. Chriſt. c. 5 & 17* & Winzet. *in Velit. contra Buchan.* negant poſſe conſtare pacta, quibus diminuitur poteſtas principum, cum poteſtas tradatur ſacris literis, quibus pacta derogare nequeunt. Cæterum, cum Deus tradat etiam poteſtatem limitatam, & regium jus vel in ipſa Judæa certis legib. circumſcripſerit, *Deut. 17.* nec minus mixtæ Reipubl. quam abſolutæ Monarchiæ autor ſit, non video qua ratione pactionata, *quæ vocat* Belluga, regna, modò jure & non per vim & fraudes pacta inducantur, contra legem divinam peccent, & jure ſubſiſtere nequeant. Non minus enim Judicum adminiſtrationem quam imperium Regum, beabat Deus quia utriusq; ſe conſervatorem declararat. Inter regna autem, quæ ex pacto & ſub certis legibus adeuntur, numeramus imperium Germanorum, quorum Electores non admittunt Imperatorem, niſi in leges imperii, & ſi quid iis noviter pro ſalute imperii adjicere velint Electores, juratum: Sleidan. *lib. 1.* Suecorum, qui ſub pœna perjurii non tenentur fidem ſervare regi degeneri: Chytræ: *lib. 2.* nec non Ungarorum, qui Uladislao II. regnum in manus non ante tradiderunt, quam propoſitis conditionibus, aut ſatisfeciſſet, aut ſe ſatis facturum ſub juramento recepiſſet. Bonfin. *Dec. 4. lib. 9. & 10.* Nam Andreas Rex jam olim ſubditis à ſe & ſucceſſoribus deſciſcendi copiam fecerat, ſi legibus acta ſua nō conformarent. *In decret. Andr. regis in fi. verſ. ſtatuimus etiam.* Quia verò per mutuam conventionem electi in his principatibus Reges ſceptra capeſſūnt, meritò ex lege contractuum judicantur; & ſic reſponſum eſt ab Alciato. *in reſp. 167. verſ. circa tertium dubium n. 10. Fidem Domino non ſervanti impune non ſervari:* & gl. dicit. *in c. cum ex injuncto. verb. tam inſtituto. de heret. Ad quem pertinet inſtitutio, ad eundem deſtitutio.* Alexand. Carer. *lib. 2. de pot. Pontif. c. 2. Qui per Electionem communitatis inſtituitur, punitur & deponitur per communitatem, quæ illum principaliter inſtituit, ſicut Veneti & Genuenſes, qui ſibi Ducem eligunt*

4. *Utrum de poteſtate cum populo paciſci poſſint principes.*

Principes ex pacto.

el gunt & ſi contra Rempub. delinquat, eum deponere poſſunt. Epiſcopus Moguntinus, cum ageretur de abdicatione Henrici IV, ajebat: *Quem meritum inveſtivimus, quare immeritum non deveſtiamus?* Helmold. *in Chron.Sclav.* Ordines Danici *in lib.de juſt. Chriſt. 2. abdic.* non aliam ſuæ rebellionis excuſationem afferunt, quam quod Chriſtiernus pactis conventis cum Ordinibus initio initis non ſteterit.

5. *Principes liberi.* Verum præter hos principes ex pactis, inveniuntur alii cum liberâ, & abſolutâ poteſtate, ſive per ſucceſſionem regna ineant, ſive per Electionem, quando regium jus, ſeu Majeſtas, ſine limitatione aut ſtipulatione prævia, univerſa traditur in manum & arbitrium unius, quemadmodum populus Roman. transfudit omnem, plenamque poteſtatem in Imperatorem, quæ, quia delegata non erat, ſed transfuſa, à tradente populo poſt traditionem repeti non potuit, *l. 1. §. ſed & hoc ſtudioſum. C. de vet. jur. enucl. Gl. in l. non ambigitur* & Zaſabid *n. 3. de ll. contra Bellarm. lib. 3. recogn. q. de Laicis.* ut Valentinianus Imp. reſpondebat militibus, ſocium Imperii à ſe flagitantibus: *Ut me ad imperium vobis eligeretis, in veſtra ſitum erat poteſtate. At poſtquam me jam elegiſtis, quod petitis, in meo eſt arbitrio, non veſtro: Vobis, tanquam ſubditis, competit parere, mihi verò, quæ facienda ſunt, cogitare.* Socom. *lib. 6. hiſt. Eccleſ. 6. Niceph. l. 11. c. 1.*

6. Cæterum adverſarii, quia hac diſtinctione ſuis paradoxis jugulum peti, & Majeſtate principum aſſerta, nebulas ſuarum opinionum facilè evaneſcere adſentiunt, è contrario nituntur demonſtrare, omnes magiſtratus, quo nomine contra Latinæ linguæ uſum & Politicorum doctrinam ſimul comprehendunt principem ſummum, ſeu ſummam majeſtatem, ac ſi populum univerſum Athenienſium, cum Reſpubl. Democratiâ regeretur, ſui ipſius magiſtratum vocaveris, adire gubernacula ſua ex fœdere vel pacto, Brut. *q. 3. poſt. med. Autor lib. de off. magiſtr.* Althuſ. *c. 11. 16* Hœnon. *diſp. 2. Polit. n. 1. & ſeqq.* quod duplex conſtituunt & ex ſacris literis probare conantur. Unum inter Deum, & Regem unà cum populo, qui hic ſtatuuntur, quaſi correi promittendi: Alterum inter Regem & populum.

Omnia regna non adiri ex pacto.

Fœdus duplex principis & populi. Contra prius ſi peccaverit princeps, licet excidat regno, propter feloniam, quia non ſtetit promiſſis, factis erga Deum: tamen & populus poteſtatem habet de jure peccantem retrahendi, quia, niſi averteret regem à via erronea, cogeretur ipſe reſpondere pro peccatis illius cū natura correorum utrumq; obliget in ſolidum, ita ut, uno recedente aut deficiente, alter cogatur ſolus ſatisfacere ſolidū: Imò hinc infert Brut. *q. 4. & Bucher. li. 1. c. 18.* quod religionis inducendæ & conſervandæ cura non minus incumbat populo, quam Regi, quia non minus

Digitized by Google

minus ſpondent coram Deo & obligant ſe ad pietatem, quam Rex. Atq; inde profectum cenſent, quod Elias trucidare potuerit Sacerdotes Baaliticos, invito Achabo. 3. *Reg.* 18.

Equidem, ubi exemplum Eliæ paulò attentius introſpicio, non magis inde probari poterit poteſtas populi, quam Sanderus *lib. 2. c. 4. de viſib. Monarch.* ex ejuſdem imprecatione, qua ignem devocavit de cœlo & conſumſit Centuriones, probaverit poteſtatem Pontificis in abdicandis Regibus. Neutrius enim ſive Pontificis, ſive populi typum geſſit Elias alterutro locorum, ſed Prophetæ & legati Dei, mandatum ſecum habentis, ut per miraculum & Quinquagenariorum contemtum igne vindicaret, & Baalitas coram Achabo attonito jugularet. Actus verò fuit Elias in pium iſtum furorem Zelo Prophetico, ut ipſe confitetur, 1. *Reg.* 19. *v.* 10. ex quo poteſtas aliqua populi non magis iterum evincitur, quam poteſtas Pontificis ex Zelo Chriſti ejicientis è templo emtores & venditores, aut ex cæde Ægyptii, à Moſe perpetrati *Exod.* 2. aut Pinehas, ſcortatorem cum ſcorto transfodientis. *Num.* 22 Quæ enim ex Zelo fiunt, ad potentiam ordinariam ſtabiliendam trahi non poſſunt. Nec verò Elias vim ſuam vertit in Regem, aut Achabum de ſolio dejicit, quia deſeruerat fœdus Domini, quam facultatem ſua opinione adverſarii populo tribuunt. Sed cum Achab mutire non auderet, obſtupefactus magnitudine miraculi, ipſo connivente, ſeu contradicere renuente, perrexit Elias Zelo ſuo ſatisfacere, & prophetico Spiritu impios ſacerdotes trucidare, quod alicui ex populo non prius licebit, quam ad id à Deo peculiariter miſſus fuerit. *6. Examinatur exemplum Eliæ.*

Fœderis autem hujus primi, quo princeps & populus ſtatuuntur Deo correi, exempla trahuntur ex 1. *Sam.* 12. 2. *Reg.* 23. 2. *Paralip.* 15. & 34. quæ partim ſcopum diſputationis non attingunt partim opinioni adverſariorum planè refragantur. Ex natura enim correorum evincere volunt, tam ad populum, quàm ad principes pertinere curam religionis, cum tamen Joſias id officii ſoli ſibi ſumat, quod antea David, Aſſa, Joſaphat, itidem uſurparant, ſicut & Aſa ipſe congregat populum ad fœdus cum Deo initum repetendum. Nullibi verò legitur quod populus Pontifices & ſacerdotes conſtituerit, librum legis legendum ordinârit, aut regem ad verum cultum reducendum & Idololatriam abolendam coëgerit, quod ex propoſito & opinione ipſorum ſequitur: atque hac ratione, modus feriendi fœdus ex 4. *Reg.* 23 2. *Paralip.* 15. & 34 adverſatur ipſis adverſariis, quibus nec ſuffragatur locus 1. *Sam.* 12 quia nec illic populus ſe congregat, ſed Samuel, tâquam propheta, qui & ipſe obligatio- *Exempla fœderis primi refutantur.* *Populum nullibi ſtatui correũ Regi.*

tionem populo præit, cum Rex expetitus nondum in ſolio & jure regio ſe planè obfirmaſſet. Porrò verò, quod populus correus in ullo iſtorum fœderum ſtatuatur cum Rege nullibi legitur. Obligatio Samuëlis proponitur populo, non Regi: Aſa & Joſias Fœdus feriunt inter populum & Deum, ſeipſos verò nullibi ſtatuunt populo correos. Iojada quidem & ſe & Regem & populum pari jure obligat, 2. *Reg.* 11 ita, ut jam non duo, ſed tres correi ſtatuendi ſint, Pontifex, princeps, & populus: Nec inficias quiſquam ibit, Regem quoque obligari Deo, quemadmodum Salomoni proponit formulam obligationis David, 1. *Reg. c.* 2. & experti ſunt vindicem Dei dexteram, quicunque ab obligatione ex Regibus receſſerunt, verum unusquiſque obligatur pro ſe, & non pro alio, niſi quod Rex peculiariter obſtringatur, non tantum ad obedientiam propriam, quam Deo perinde debet, ut quivis ex ſubditis, ſed etiam ad continendum & regendum ſubditos in vera religione *Deuter.* 17. 2. *Paral.* 29. & in hoc diſſidet obligatio populi ab obligatione regis. Populus enim, ad promerendam felicitatem, cogitur Deo ſervire, cogitur & rex ob eandem cauſam. 1. *Reg. c.* 2. Cæterum præter hanc fidem Rex etiam tenetur populum in vera religione & ſincera erga Deum obedientiâ regere: non autem populus Regem, ideoque hæc poteſtas Regis non prodit ex promiſſo, quod ſimul ſuſceperit cum populo (quia ſi eſſet, tantum juris competeret populo in Regem, atq; Regi in populum, quod & exemplis Regum Judæ & ſacris literis repugnat, ut paulo poſt dicemus) ſed ex peculiari obligatione, qua obſtrictus eſt Deo, non quatenus homo, ſed quatenus Rex. Qui autem diverſimodè obligantur, & ad diverſa, non ſunt correi: Imò tam abſurdum eſt, principem & populum ſtatuere correos coram Deo, ut vel ex hoc unico loco ſufficiens teſtimonium peti poſſe cenſeat Barcl. *in libr. contra Monarch.* contra eos, qui Bruti vindicias aſcribunt Hottomanno. Tantus enim error tanto ICto non excidiſſet. Correorum enim ea eſt conditio, ut ſi unus ſolverit, alter liberetur, §. *ex hujusmodi.* ubi Vult. *Inſt. de duob. reis l.* 3. *ff. Eod.* quia ſinguli obligantur in ſolidum. §. 1. *Inſt. Eod.* Atqui ſi populus ſatisfecerit obligationi, aut Rex, nihilominus pars altera manet obligata, nec populi obedientia eximit à pœna Regem, nec Regis populum, ſed quiſque ſua luit peccata. Præterea correi non poſſunt ſe mutuò cogere ad ſolvendum, quia id pertinet ad officium & juriſdictionem prætoris, coram quo contractus fuit initus. Cæterum adverſarii ex hac correorum obligatione inferre nituntur, poteſtatem aliquam, utrique parti communem, qua partem à promiſſis abſcedentem, retinere & ad ſatisfa-

Populus nequit eſſe correus Regi.

ſatisfaciendum cogere altera poſſit; imò licet adverſarii id nulli aſſererent, tamen utrinque certum eſt, ad minimùm, Regi in populum competere juriſdictionem, ſi à fœdere receſſerit, quod neutri correorum alias licet.

7. *Fœderis civilis refutatio.*

Alterum fœdus *civile* vocat Danæus *lib. 6. Polit. Aph.* 1. & pro lege fundamentali regnorum obtrudit, cujus exemplum accommodatiſſimum petit ex Rep Lacedæmoniorum, Xenoph. *de Rep Lac.* illique plura alia adjicit Brut. *q.* 3. Althuſ. *c.* 15. Hœnon. *diſp.* 2 Nec nos negamus initum eſſe fœdus inter Davidem & 10. tribus. 2. *Sam.* 5. 1. *Paral.* 2. item inter Joam & populum, interventu & de conſilio Iojadæ: 2. *Paralip.* 23. 2. *Reg* 11. ſed miramur, unde Hœnon. ſenſum hujus fœderis didicerit, quem ſic nobis explicat: *Ut ſcil. ſubditi repromittant magiſtratui omnia honeſta, ſi ſcilicet juſtè, piè, & non Tyrannicè imperaturus ſit.* Et addit: *Hac conditio ſi minùs impleatur, ſolutus eſt populus, irritus contractus, obligatio ipſo jure nulla.* Et iterum: *Omni perfidia crimine vacuus populus, ſi injuſtè imperanti publicè renunciet,* quam eandem ſententiam habet autor de regim. princ. *lib.* 1. *c.* 6. Curtius olim dicebat. *Regum exitus, ſi reputaverimus inveniemus plures à ſuis, quam ab hoſtibus interemtos. lib.* 9. Noſtro tempore, proh dolor, eò verius id dictum deprehendimus, quò major licentia ſubditis in principes indulgetur, & ſi Diis viſum fuerit, etiam ſacrarum literarum pallio tegitur, & piæ libertatis nomine in vulgus laudatur.

Nunquam in ſacris literis poteſtas populo data eſt in Reges.

Quâ verò interpretatione id ex ſacris literis, aut ex fœdere, cujus ſumma non proponitur, elicitur? cum prorſus contrarium ex hiſtoria univerſa appareat: Annon injuſtus erat David, & vir ſanguinis, cum Uriam poſt adulterium inſidioſè tolleret cum populum, quaſi in multitudine ejus triumphans, arroganti cenſu numeraret? An non Salomon impius, cum, ut meretricibus gratum faceret, in cultum idolorum conſentiret? Aſſa premebat populum, & conjiciebat in carcerem prophetam, à quo reprehendebatur. 2. *Paral. c.* 16. Nullibi tamen legitur, ex vi fœderis, data poteſtas populo animadvertendi in regem impium, injuſtum, crudelem. Contra Aſſam adduxit Deus externos reges 2. *Paral.* 16. contra Ahas, regem Syriæ & Iſraëlis, 2. *Paral.* 28. contra Hiskiæ arrogantem jactantiam, Sennacheribum, 2. *Paral.* 22. contra Manaſſæ idololatriam Aſſyrios, 2. *Paral.* 33. ut fœdifragium eorum puniret; ſicut in perſona Saulis toti poſteritati minitatus erat Samuel, 1. *Sam.* 12. & David in perſona Salomonis 1. *Reg. c.* 2. Sed populo, vel univerſo, tanquam ordinario Regum judici, vel ſingulis, ne uno quidem in lo-

Digitized by Google

co poteſtatem vindicandi ſcelera regum indulſit, quod meritò mireris, ſi ea poteſtas ex lege fœderis populo competiiſſet.

8. Falsò enim ſcribit Althuſ. *c. 14. Polit. Judas ſæpe contra Tyrannos, approbante Deo, inſurrexiſſe leguntur.* At quo quæſo in loco? Athaliam ejecerunt pontifex & principes, ſed ipſa legitimi principis titulum nunquam acquiſierat, quicquid contradicat Bellarm. *contr: Bartl. c. 37.* Hiskia rebellavit in regem Aſſyriæ, *2. Reg. 18.* ſed à quo injuſta ſervitute detinebatur. Mathathias injuſtam oppreſſionem Antiochi juſto bello repulit 1. *Maccab. c. 3. 4. 5.* Judices ab externorum hoſtium & Tyrannorum jugo, populum ſæpè liberarunt *Iud. c. 3. & 4.* Abſalon, ab affectato regno per vim, iiſdem viis repreſſus fuit. *2. Sam. 18.* Sed quid hæc ad legitimum principem? quid ad ſubditos? Nec enim oppreſſi extiterunt ſubditi de jure, ſed in iniqua ſervitute contra fas detenti: nec excuſſi Tyranni legitimi principes. Cur igitur hæc tam diſſona affert Althuſius ad animandam injuriam populi? & cur præterea conventus Ordinum, de ſumma Reipubl. conſilia capientium? *Ioſ. 22. Eſdr. 9. Nehe. 5. & 9. 1. Sam. 12.* cum nondum Rex eſſet in Iſrael conſtitutus: *Deut. 17.* perinde ac ſi Regibus & Monarchis Ephoros & Tribunos obrogandos contenderet, quia in Republ. mixta Lacedæmoniorum, aut Democratia Romanorum tales extiterunt. Nam cum Regem conſtituerent Judæi ſupra ſe, ad inſtar gentium vicinarum, & juri à Samuele propoſito acquieſcerent, mutata Reipublic. forma, jus ſuum regibus ceſſerunt, cui poteſtatem in bello & pace, ſub verbis juris dicendi & belli ducendi, apertè tradunt: *1. Sam. 8 v. 20.* Et tum non amplius erat in arbitrio populi de Majeſtate transfuſa judicare, aut Regem ſupra humanum judicium elatum, in jus vocare, legemve tranſgredienti diem ad populum dicere.

Quis extitit deterior, & ad omnem idololatriam & rapinam obſtinatior Achabo, de quo ſcriptum legitur: *Nemo tam erat ad malum venundatus, quam Achab. 1. Reg. c. 21.* Sed nunquam juſſi ſunt ab eo deficere ſubditi, aut rebellione ſua ipſius crimina caſtigare: quin potius extra ordinem dedit Deus provinciam hanc Iehu, inſtinctu Eliſæi, qui radicitus poſteritatem ejus extirparet. *2. Reg. c. 9. & 10.* Cur non uſus eſt Deus vel hoc loco vel ullibi alibi medio potius ordinario, ſi quod eſſet penes populum, quàm extraordinario? quare David cum viris & comitibus ſuis nunquam intulit manus Sauli, ſi id ſibi & populi meliori parti licuiſſe ſciviſſet, præcipuè, cum occaſio ſe aliquoties ultrò offerret, & ipſe jam non privatus ſubditus, ſed rex deſignatus & unctus eſſet, gladio accinctus

Digitized by Google

ctus & vindex in iram, quo quidem prætextu efficaciorem non potuiſſet quiſquam ſuggerere. Nondum quippe didicerat, omni perfidiæ crimine carere eum, qui injuſtè imperanti obedientiã renunciet. & ingenti errore credebat: Regibus etiam delinquentibus parcendũ eſſe, propter autoritatem & oleum divinum. Dignus erat Ammon, qui regno exueretur & de vita caderet, quippe, qui & idolis immolabat, & tributis populum onerabat. Qui tamen manus contra eum erexerant, & Sanctum Domini profano auſu tangere non veriti erant, diligenter à populo ipſo conquiſiti & Majeſtatis damnati fuerunt. *2. Paral. 33. in fi.* Amazia eodem jure utitur in conjuratos, qui patrem ſuum Ioam trucidarant, licet optimo prætextu factum excuſarent, quod Ioas parricidiis prophetarum ipſa conſceleraſſet altaria. 2. *Paral. 25.* 2. *Reg. 14.*

Unicum obſtat exemplum Ieroboami, de quo plura admonituri ſumus infra, qui per ſeditionem 10. tribus legitimo Rehabeami imperio ſubtraxit: Sed ex facto, nunquam laudato, nec probato, jus deduci non poteſt. Nam ſi id juris competiiſſet populo, licuiſſet ipſis ferè ſeceſſionem facere à quovis Regum, quia plerique Idololatrico cultu ſe inquinarunt, nec optimi vitiis caruere ſuis: Sed malebant mala etiam duriſſima perferre, quàm contra ordinationem divinam quicquam committere. *Regi Coronato, etiamſi Bos eſſet, tamen obtemperandum* dicebat Michaël Palatinus Ungariæ, cum tota ferè Ungaria à rege per rebellionem deſciſceret. Bonfin. *dec. 4. lib. 3.* Nihil igitur ſubſidii ſuæ opinioni afferre poſſunt Adverſarii ex fœdere, cujus & verba & mentem ignorant: quodque ſi ex eventu interpretari velimus, ipſis per omnia refragatur, quia nunquam poteſtas conceſſa fuit populo regem, à fœdere declinantem & vitiis graviſſimis ſeſe indignum regno & conſortio hominum reddentem, vel è regno ejiciendi, vel impia morte multandi. Quin etiam alias in dubio contrahentes præſumuntur ſe juri communi confirmaſſe, & ſic inter ſe pacti fuiſſe, prout ſubditis & Regibus, cuique ex ſuo jure, fas eſt, præcipuè verò ejus præſumtionis conjecturam licet capere *ex 1. Sam. 8* ubi Regem talem petit populus, qui dominetur ad modũ aliorum Regum in circuitu. Conſtat autẽ vicinos Reges abſoluto imperio, quod Regium vocamus, in ſubditos, ſine ſpeciali ullo pacto, ſine exceptionibus onerum & munerũ, uſos fuiſſe, ideoq; cum jus Regis abſolutum refractario populo ob oculos poſuiſſet Samuel, ut quaſi in ſpeculo licentiam regiam continentes, in ſe retrogredi maturè, laſcivamque ſuam petitionem deteſtari inciperent, non exceperunt pacta aut contractus, nec jus propoſitum certis conditionibus limitarunt, aut id

Digitized by Google

reſponderunt,quod modo Adverſarii docent, ſi qua jure ſuo abuti & regiones oneribus prægravare velit,ſe jure ſuo quoque uſuros, & injuſtè imperantem juſtè depoſituros,ſed aperto conſenſu, propoſitas conditiones à Samuele acceptarunt, adeoque regem abſolutum, qualem omnes in circuitu gentes habebant,ſcilicet quos Buchan.*in dial. de regn. Scot.* propter abſolutum imperiū etiam Tyrannis accenſere non veretur, admiſerunt,ut rectè interpretatur Brent.*homil. 27. in 1. Sam.* inter cætera ita inquiens: *Etiamſi velletis jugum regis excutere,tamen,ut ſemel ſuſcepertis,nequaquam id vobis licebit.*

Tertium Sitium fœderis.

Præterea ex argumento Rhetorico quod Logicus exemplum vocat,ſeu particularem inductionem, infertur univerſalis concluſio. Ex eo nimirum,quod David pepigit fœdus cum futuris ſubditis, quod Ioas ductu Iojadæ,colligitur: reliquos quoque reges ſimilibus conditionibus ſtetiſſe ad columnam in templo Regibus conſecratam: perinde ac ſi leges Carolo V. à Germanis,& Henrico Andium Duci à Polonis propoſitas,quia erant extranei, & metum injiciebant ſubditis inſolitæ & imperioſæ dominationis,pro communibus conditionibus venditarem omnium Impp & Regum Poloniæ. David quia diſperſum populum colligebat & regnum poſt Tyrannidem Saulis primus ſtabiliturus erat: Ioas item,quia ex manibus Athaliæ regnum recuperarat,novis idipſum ſtabilire legib.opus habuerunt, is quidem ut eas primus figeret. hic, ut per Tyrannidem oppreſſas & tantum non antiquatas ex ſitu retraheret: Verum abſque his caſibus non inveniuntur Reges cum ſubditis pacti eſſe, ſed in jus abſolutum Regium ſine controverſia ſucceſſerunt. Ne ipſe quidem Saul regnum accepit prius limitatum,aut certis pactis traditum,ut Althuſ.*c.*15. Hœnon.*diſp* 2.*n.*5. objiciunt Simpliciter enim ait populus:*Conſtitue ſuper nos Regem.* 1.*Sam.*10.& licet Samuel. 1. *Sam. c.* 12. obliget populū Deo,adjectis minis,ſi ab obedientia deflexerint,tamen inter Regem futurum & populum novum fœdus non icit, ſatis eſſe putans,quod legem Regis ſcriptam,quam eandem cum jure regis 1. *Sam.c.* 8 explicato facit Joſeph.6. *Antiq.c.*5. repoſuerit in æternam memoriam coram facie Domini. Neq; Joſias, quem adducit Brut.*q.* 3. fœdus init cū populo,ſed fœdus conſtituit inter Deū & populum,cū jam diu ſub Idololatricis regib.exorbitaſſet, ut metu Dei in viam regiam reduceretur.

9. *Quartum Sitium ejuſdem.*

Denique licet Iſraëlitæ Reges non admiſiſſent, niſi ex pacto, an conſuetudo illius regionis toti juri Regio potuit præjudicium creare? Nec enim rectè Calvinus 4. *Inſtit.c.ult.ſect.* 8.ab Ariſtocratia Iudæorum argumentatur ad Ariſtocratiam abſoluté,nec Henric. Stephan. *in libell.*

de

Digitized by Google

de hac re pecul. rectè contendit, in omnes Reſp. debere leges Hebræorũ, tanquam ab ipſo Deo profectas, & per conſ. omnium optimas reduci, quia quod iſti populo optimum fuit, abſolutè non eſt optimum, ut alibi copioſiùs demonſtravimus. Eſt in Rebuſp. ſingulis aliquid imitandum, aliquid verò etiam fugiendum. Dux venetorum dignitate magis potitur, quàm poteſtate, nomine quam re: An ab hoc duce licebit alicui argumentum capere ad Ducem Florentiæ, aut Sabaudiæ aut Bearni, aut Araniæ, qui ſe abſolutos principes ferunt, & Regibus ſola dominandi anguſtia & corona inferiores? Pari verò ſolertia Danæus *lib. 6. Polit. c 3. q. 4.* Brut. *q. 3.* regium jus deducunt è Republ. Lacedæmoniorum, ubi Reges in carceres, compingebantur, ſi vel ſtella de cœlo decurriſſet, vel peregrino ipſi habitu uterentur, vel exercitum, quò Ephoris non placuiſſet, ducerent, vel uxorem non paterentur ſibi obtrudi, quæ regiæ videretur vel ſtaturæ vel indolis. Breviter, à perſonatis regibus ad veros: à regibus ſecundum leges, ut ait Ariſt 4. *Polit. c. antep.* ad reges abſolutos & liberos: à magiſtratu honorario, ad majeſtatem Regiam argumentantur, quod quam ſit vitioſum, nemo eſt, qui non videat.

Exempla ex Rebuſp. aliis:

Quod verò idem Brutus *d. q. 3.* provocat ad regnum primum Romanorum, acceptamus autoritatem Halycarn. *lib. 2.* qui ſtipulationis quidem nullius inter Regem & populum mentionem facit, ſed Romulum proponit, leges ſua autoritate perferentem & ut ait Pompon. *l. 2. de orig. jur. omnia ſua manu gerentem*, aut ut Tacitus *3. Annal. prout libitum erat, imperantem* Danæus *d. q. 4* provocat ad imperium poſterius, non minori cum commodo noſtræ ſententiæ. Quam enim liberè dominatus fuerit Nero, & qua poteſtate uſus docet Seneca *1. de Clem.* & de Trajani regimine Plin. *in Paneg.* de qua re alibi à nobis dictum fuit, ut oſtenſum, primorum Impp. imperium extitiſſe nomine quidem populare reipſa verè Monarchicum. Sed inquit, Senatus dejecit & damnavit, Neronem, Didium Julianum, Heliogabalum, Maximinum: Senatus verò cui id juris neque in libera Republ. competebat, penes totam Remp. junctim, & in comitiis totius populi reſidentis? Senatus, inquam, quem ſub ſpecie magnæ autoritatis, Tiberius jam in curiam Judicũ redegerat, rebus imperii ad arbitrium & aulam Imperatoriam retractis, cauſarum verò forenſium diſceptationibus Senatui relictis? Neronem non Senatus, ſed Vitellius & Galba primi dejecerunt. Julianum Severus, Maximinum Gordiani: Senatus nihil opis attulit, niſi quod Vicenti parti ſe applicaret, & cadente quercu ligna colligeret. Quod ſi in partis electione peccaret, ut cum Gordianis calculum daret contrà Maximinum,

Digitized by Google

temeraria & irrita ſua feſtinatione non tantum nihil proficiebat, ſed totam Rempubl. in præſens diſcrimen adducebat. Nec enim jus ſuum contra Maximinum defendere potuiſſet, ſi ipſi contigiſſet, præ furore militum, Romam videre, & in curiæ limine plantam ponere, cum ne Maximum quidem & Balbinum, contra vota plebis Gordianum Juniorem depoſcentis, in vacuas ſedes aſſerere potuerit, niſi in gratiam civium tertium rivalem, adhuc puerum, conjugi pateretur.

Falsò item affert Gallorum Status, Anglorum, & Scotorum parlamenta, quæ tantam autoritatem ſibi, niſi in hiſtoria Buchanani, non tribuunt, ut paulò poſt oſtendemus: nec ſpectandum eſt, quid factum ſit, ſed quid fieri debuerit. De factis ipſius Pontificis audet dicere Johan. *de Turre crem.* de illicitis diſpenſationibus loquens: *Quod ſi ita aliquando fuerit factum per aliquem ſummum Pontificem, aut ignarum in litteris divinis, aut excæcatum cupiditate pecuniarum, quæ pro talibus exorbitantibus diſpenſationibus ſolent offerri, aut ut complaceret hominibus, non ſequitur, quod potuerit juſtè facere. Eccleſia juribus & legibus regitur ſive debet regi, non talibus actibus, ſive exemplis.*

Falsò quoque affert Brutus ſtipulationem Perſarum & Cyri, *ex* Xenoph. 8. *Cyrop.* præterquam enim, quod ex Cyropædia, ubi idæa boni principis fingitur magis, quàm ex rei veritate deſcribitur, de jure regio Perſarum, non magis argumentum peti poteſt, quàm ex legibus à Cicerone *in 2. & 3. de ll.* congeſtis, ad demonſtrandum ſtatum Reipubl. Romanæ: Etiam nihil ſtipulantur Perſæ & Rex, niſi, quod ex natura regis & ſubditorum procedit, ut Rex ſcil. defendat, & ſubditi defendenti manus & operas ſubminiſtrent. Id enim uterque debet utrique, licet nulla publica ſtipulatio interveniat, ſicut noſtri Reges jurant Eccleſiæ ſimul & Reipubl. patrocinium, quod in veteri juramento Burgundionum, vocatur *mannburgium*, nec ex eo perdunt vel minimum ſuæ Majeſtatis, quia jurati nihil promittunt, niſi quod ex obligatione naturali & communi etiam injurati preſtare tenerentur. Non enim defendere tenetur princeps Rempublic. quia juravit aut ſtipulatus eſt, ſed quia Rex eſt, licet communi debito jurisjurandi religio conſcientiam arctius & metu gravioris pœnæ devinciat. & ſtipulatio publica, officii ſui & promiſſorum ſtipulantes efficacius ſæpiusq; admoneat.

10. Conſtat ex iis, quæ hactenus diſputavimus, non initi omnia regna, cum pactis tacitis aut expreſſis quæ Majeſtati aut Regio juri detrahant: Sed, ut illud ipſum clarius adhuc & latius deducatur, quia pacta potiſſimùm irrepſerunt in imperia per Electionem revocabimus ad incudem

Digitized by Google

eudem etiam alterum Adverſariorum argumentum, cui palmarium ferè in tota controverſia tribuunt. Ex eo enim tribuunt populo autoritatē in Reges & Principes quod principes conſtituti ſint, & autoritatem ſuā nacti à benignitate & de conſenſu populi, quod argumentū Zacharias Papa ſuggeſſit Francis, cum de Childerici abdicatione conſuleretur. *Argumēta adverſariorum.* *Princeps*, inquit, *populo, cujus beneficio poſſidet, obnoxius eſt, Quacunq; enim habet potentiam, honorem, divitias, gloriam, dignitatem à populo accipit, plebi accepta referat neceſſe eſt. Regem plebs conſtituit, eundem & deſtituere poteſt.* Avent. *lib. 3. Annal.* Brevius Auguſtinus Triumphus de Ancona, quem idcircò reliquis in miſceo, quia Beati nomine ab Eccleſia dignus judicatus fuit, *de poteſtat. Eccleſ. quæſt. 22. art. 3. Imperatorem à Papa poſſe deponi, quis ibit inficias? Ejus enim eſt deponere Imperatorem, cujus eſt eundem conſtituere, id quod exempla ipſa declarant.* Hinc ſic argumentatur Brut. *q. 3.* Bucher. *l. 1. c. 16.* Bellarm. *in Recogn. lib. 3. q. de Laic.* Althuſ. *c. 15. Polit.* Aut. libr. *de off. magiſtr. q. 6.* Hœnon. *diſp. 2. Polit. num. 6. Conſtituens prius eſt & ſuperius conſtituto. Subditi verò conſtituunt reges & principes. Ergo ſunt conſtitutis & priores & ſuperiores*, cui conſonat & illud eorundē & Bellarmini: quod refutat Johan Bed. *de droict des Rois chap. 4. Finis & propter quod quidq; eſt, nobilius eſt eo quod eſt propter aliud. 1. Ethic. c. 1. Principes ſunt propter populum. E. Populus eſt nobilior.* Diſtinguimus enim inter ea, quæ totam ſuam naturam fini ſubjiciunt, & ab eo habent bonitatem & malitiam, ut inſtrumenta & medicamenta, quatenus talia. Et inter ea, quæ reſpectivè quidem ſubſunt, ſed præter reſpectum includunt naturam & digniorem & utiliorem. *Solvitur primum.* Diſcipulus quidem, quatenus inſtituitur, inferior eſt magiſtro: ſed quatenus princeps, aut regius filius, eodem eſt ſuperior. *Ainſi* dit. Bede, *Les Rois ſont pour le peuple, comme l'ame eſt cree, pour le corps, & le chef pour les membres, à ſçavoir eu degrè ſuperieur pour commander, & non pour mettre les pieds, au deſſu du chef.* Nec nos huic argumento diutius immorari volumus, cum non magis concludat: ac ſi ſic inferam: paſtor eſt propter oves. Ergò, oves ſunt ſupra paſtorem: aut pater familiâs eſt propter familiam, ad cujus ſuſtentationem omnia ſua referre cogitur. Ergo familia eſt ſupra patremfamiliâs: aut forma eſt propter actionem. Ergo actio eſt nobilior formâ, ſeu accidens ſubſtantiâ.

Prius autem argumentum, à natura conſtituti & conſtituentis deductum, nulla ex parte poteſt ſubſiſtere, quia nec propoſitio vera eſt, nec aſſumtio. Nam quod omne conſtitutum ſit ſuperius conſtituente, in eo fallit, quando in conſtitutum deponitur omnis, quæ erat in conſtitu- *II. Solvitur alterū, & reſpōdetur ad Major.*

ſtitu-

ſtituente poteſtas, ut cum populus Rom transfunderet omne jus ſuum in principem. Pœnitere enim ipſi poſt abdicationem non licebat nec quod ſemel amiſſum erat, repetere, ut ſupra ex Zaſ. & gloſſ. *ad l. non ambig. de ll.* demonſtravimus, & ex reſponſo Valentiniani Imp. qui quidem exercitui referebat poteſtatem acceptam, nolebat tamẽ poſt acceptam, à quoquam eorum vel univerſis judicari aut in ordinem redigi, quia inquit, ex conſtitutionis veſtræ vi plenum de imperii rebus diſpondendi arbitrium obtinui. Sozom. *6 hiſt. c. 6.* Niceph. *11. c. 1* Ita & Brent. *hom. 27. lib. 1. Sam.* ſub perſona Samuelis præmonet Judæos, in quorum arbitrio adhuc erat petitionem ſuam aut proſequi aut retractare: *Poſtquam, ait, jugum Regium vobis induxiſtis, non erit amplius integrum excutere, in quod ſemel veſtro applauſu conſenſiſtis.* Servus enim qui ultrò ſe dat in ſervitutem Domino, ea ſubire paratus omnia, quæ ſunt ſervorum, non tantum ſuperior non fit Domino, quem ſupra ſe conſtituit, ſed ne pedem quidem ex ſervitute retrahendi copiam habet, poſtquam legi communi ſervorum ſe ſemel ſubjecit. Dux Britanniæ à Philippo Rege contemtim habitus, conſtituit ſupra ſe Eduardum regem Angliæ, inque ejus fidem omnia ſua, ad inſtar Vaſalli Ligii commiſit. Froſſard. *lib 1* An verò propterea rege ſe faciebat ſuperiorem? Qui conſtituit aliquem infra ſe, in conſtitutum meritò vendicat ſibi imperium: ſed qui conſtituit quenquam ſupra ſe, inprimis, quando illi tribuit in ſe poteſtatem regiam quod faciunt ſubditi, verum Regem eligentes & in Rempubl. conſtituentes. ſi ponatur propterea jus ſuperius retinere, idem ponitur retinere quod abdicaſſe ponitur. Nec enim Rex eſt ſupra populum conſtitutus. ſi populus reſervavit ſibi imperium in regem, Cardinales hodie conſtituunt Papam, & Clerici Epiſcopum. Negat tamen Gregorius *c. ult. 8. q. 2.* ſemel conſtitutum ab iisdem iudicari, aut deponi poſſe, quoniam non ſemper, qui habet poteſtatem conſtituendi, habet itidem poteſtatem deponendi, ut notat Panorm. *ad c. 4. de Cler. non reſid.*

Reſpondetur ad Minorem. Juſta imperia etiam ſũt ſine cõſẽſu populi

Porrò non minus vacillat aſſumtio, qua omnium principum conſtitutio tribuitur voluntati & arbitrio populi. Covarr *c. 1. pract. qq. n. 2. & 4.* licet falsò præſupponat à conſenſu ſive tacito, ſive expreſſo dependere juſtam poſſeſſionem regnorum, eò quod etiam invitis ſubditis juſtè aliquis dominari poſſit, ſi ſcilicet illi præter jus & fas regis alicujus imperium excutere nitantur, prout quotidiè in juſta rebellione etiam Bonos principes, vel ſub ſpecie religionis, vel libertatis ejici experimur: tamen prẽter conſensũ populo nihil tribuit. Advertebat quippe Gothos imperium ſuum in Hiſpania auſpicatos non fuiſſe cum autoritate ſubditorum

Digitized by Google

ditorum, ſed invitis incubuiſſe, & belli jure, ſi tamen hoc jus dicendum, prima regnandi jeciſſe fundamenta, quod ferè unicum jus in tot provincias prætexere potuerunt Romani, quos tamen quis vocare audeat injuſtos ſuarum ditionum poſſeſſores? Scoti, Angli, Franci, Hiſpani, Turcæ, Germani in Italia non alio jure primordia imperiorum quæſiverunt, quam gladio, invitis ſubditis, atque ideo regna ſua non fundarunt ex præſcripto populi, ſed ex ſuo arbitrio. Et tamen Alphonſ. de Caſtr. *de poteſt. leg. pœn. lib. 1. pag. 1.* cui ſubſcribit Vaſquius *libr. 1. Controv. c. 47. n. 1. & 12.* omnem poteſtatem vocat iniquam & Tyrannicam, quæ non habuit initium à conſenſu populi, quod Hœnon. *diſp. 2. Pol. n. 6.* etiam probare audet ex ſacris literis, quaſi non ipſi Hebræi per vim ejecerint omnes gentes, quarum poſſeſſiones occupabant, nedum ut imperium ſuum à conſenſu populi ſint exorſi. Adducit autem cum Brut. *q. 3.* ex *Deut.* 17. quod ibi dicitur populus conſtituere Regem, Deus eligere, non ſecus ac ſi à conſtitutione Saulis liceat argumentari ad jus omnium Regum, & ſicut Deus elegit Saulem per ſortem, *1. Sam. 9* ita eligi debeant omnes alii Reges, cum ne quidem in Republ. Judæorum alterutrum obſervatum ſit, ut reges ex ſtirpe Davidis, vel immediatè eligerentur à Deo per ſortem, vel à populo conſtituerentur, ſed ſucceſſerint jure hæreditario, in quod populo nihil juris unquam fuit conceſſum. Nam ipſe Jerobeam, licet, jam diſcidium feciſſet à domo David, Rehabeamum tamen vocat legitimum Regem, *1. Reg. 12. v. 27.* quippe qui ſucceſſerat, jure filiationis, *1. Reg. 11. in fin. 2. Paralip. 9. in fin.* ut & Salomon, cui pater tradidit ipſe regnum, *1. Reg. 1.* recipiente, tantum & non refragante populo. *1. Paral. c. 29. & 30.* Quod enim Rehabeamo Iſraëlitæ obtemperare nollent, niſi leniter imperanti, & dicerent: *Quid nobis commercij cum domo David? 1 Reg. 12. 2. Paral 10.* id quidem refertur à ſacris literis, ſed non magis probatur, quàm defectio Libnæ & Idumæorum, *2. Regum. 8* quam idem Hœno: *Diſp. 9. n. 47.* quaſi à ſacris literis probatam allegat, immemor vulgaris regulæ, quod legibus judicandum ſit, non factis. Aliàs autem ubique legitur: *Filius regnavit pro eo*: nullibi; Populus hunc vel illum conſtituit Regem pro eo. Imò in hac ipſa Saulis creatione, vis conſtituendi nunquam tribuitur populo, ſed vel DEO, *ut 1. Sam. 12. v. 13. Dominus conſtituit Regem ſuper vos*; vel Samueli, tanquam Prophetæ & internuncio divino, *ut 1. Sam. 1. v. 5. c. 10. v. 19. Conſtitue nobis Regem*, qui & juſſu DEI propoſuit jus Regis & populo tantum conſentiendi gloriam ubique reliquit, in ijs locis, quæ laudat Hœnon: Conſtat autem, prædictiones ex eventu &

An reges Judæorum conſtituerit populus

dubia vaticiniorum explicanda eſſe ex certitudine & veritate hiſtoriæ. Proinde Aſſumtionem, tanquam non niſi certis quibuſdam in Caſibus veram, reijcimus, cum juſto bello aut jure ſucceſſionis, immediatave Dei electione, quà Davidi datur imperium, *1. Samuel. 16.* occupata regna non debeantur populo, nec leges aut jura ſua ab eo recipiant.

13. *Aliud argumentum Vaſquij.* Priuſquam verò, ad probationem veræ ſententiæ progrediamur, conſiderandum venit & illud argumentum, quod Vaſquius proponit: *libr. 1. Contr. c. 47. n. 12.* Omnis conceſſio facta ad meram concedentis utilitatem intelligitur eſſe revocabilis, præſertim in hujuſmodi mandatis. §. *recte quoque. Inſt. de mand. & per tot. t. ff. & C. de procur: & extr. Eod. t. in Decret. juncta l. quoties ab omnibus* ubi Jaſ. *C. de fideicom: l. ſtipulatio iſta §. inter certam de Verb. Obli. l. pen.* ubi multa per Jaſ. *C. de pact. l. ſi quis in conſcriben: C. de Epiſc. & Cler. l. filius matrem C. de in off. teſtam:* Principatus autem dantur propter utilitatem ſubditorum, quemadmodum Soto dicit: *Rex eſt propter Rempubl. non contra de juſt. & jur: libr. 10. q. 3. art. 1.* & Lutherus ipſe *in libell. de poteſt: Magiſtr. part. 3. §.* Auffs erſte muſſ er anſehen/ *Tom: 2. Ien:* & Adrianus Imp: dicebat: *Ita ſe geſturum principatum, ut ſciret rem populi eſſe non ſuam.* Poſſunt igitur ſubditi, quorum utilitati datur Rex, donationem à ſe factam revocare.

Solvitur. Plurima autem in hoc argumento accipiuntur confuſa & incerta. Nam I. præſupponit Vaſquius principatus omnes dari à populo, quod, ubi Electio ſucceſſionem non excluſit, verum non eſt, cum pleraque regna juſtis armis acquirantur & poſtea inconſulto populo tranſmittantur, lege hæreditatis ad poſteros. Nullum hic populi beneficium nulla intercedit conceſſio, vel donatio, quia non à populo, ſed à parentibus filius accipit jus regnandi, nec id poſſidet, tanquam patrimonium populi, retento ſibi tantum onere protegendi & adminiſtrandi, ut contra Jureconſultorum quorundam dictiones diſputavimus, *in libr. 2. c. 1. de jur. Majeſt:* Sed tanquam proprietatem, lege regni à parentibus ſibi traditam, quam tenetur quidem regere & tueri, ad ſalutem omnium, ſicut pater obligatus eſt, ut proſpiciat toti familiæ, nequaquam tamen prohibetur, quin & ſuis commodis conſulat, cum & bonus paterfamiliâs id faciat, dummodo privata commoda non diſtinguat à publicis. Sicut enim in bona Republ: idem eſt bonus civis, & bonus vir, *5. Ethic. c. 1.* & bonum privatorum, non differt à bono ſeu fine publico. *1. Ethic. c. 2. 3. polit. c. 12. 7. polit. c. 2.* ita in eadem bonum Regis & civium non differunt, ſed dum ſua curat princeps, ſimul curat ea,

Digitized by Google

quæ ſunt omnium,ut ait Trajan: *in Panag: Plin:* Id quod patet ex crimine Majeſtatis, quod non minus committitur in perſonam principis, quam in totum Reipubl: corpus, quia hujus ſalus recumbit in ſalute illius,& vice verſa, adeò ut illud in minore non ſatis dilucidè dicatur: Principatus dari ad ſolam utilitatem populi,quia conſequenter dantur etiam ad ſalutem principum, quorum benè meritis incolumitas iſta indulgenda eſt.

Præterea,Conceſſio facta ob cauſam,non revocatur,niſi ob ingratitudinem accipientis, ſi cauſam non compleverit. *l. fin. ubi gl.* Odofred: Cyn: Salic: *C. de revocat: donat: §. ſciendum. Inſt. de donat: c. fin: ibi gl. & Dd. de donat:* Cauſa autem, quæ in tradendis regnis intervenit, eſt eorum adminiſtratio pro ſalute publica. Non prius igitur conceſſionem ſuam irritam facere poteſt populus, quam ingratus fiat princeps, & publicum bonum prorſus evertat. Loquor autem de communi jure, cui in dubio contrahentes ſe præſumuntur conformare voluiſſe. Quod ſi ſpeciatim quid in ſe receperit princeps, vel ſpecialem aliquam cauſam in traditionem populus expreſſerit, quæſtio naſcitur nova non de jure ſed ex facto, quæ ad jus commune, cui ſpeciali contractu derogatum eſt, nihil attinet.

Denique donatio fit irrevocabilis ex mente donantis. Quia licet donatio, collata in extraneum, ſi poſt eam donanti ſubnaſcantur filii, cenſeatur irrita, *l. ſi unquam C. de revoc. donat.* quia non præſumitur, donatur, ſi de naſcituris poſteris cogitaſſet, contra legem charitatis voluiſſe peregrinum præferre liberis: *l. cum avus. de cond. & demonſtr. l. generaliter. §. cum autem C. de inſtit. & ſubſt. l. cùm acutiſſimi. C. de fideicom.* tamen, ſi conſtet de expreſſa voluntate & diſpoſitione donantis, præſumtioni non datur locus, & donatio tenet in præjudicium filii, *ec d. l. ſi unquam,* & Bartol. *in l. Titia Sejo. §. Imperator. de leg. II.* Pari ratione, quando conſtat de voluntate populi conferentis, ſive omne jus ſuum, conceptis verbis, deponat in manum Imperantis, ut olim populus Rom. *l. 1. ff. de conſt. princ. §. ſed & quod placuit. Inſtit. de jur. nat.* ſive obedientia & factis, quibus magis, quam verbis, voluntas declaratur *l. ſi tamen. §. Ei qui. ff. de ædil. edict. l. Paulus ff. rem rat. haber:* Menoch. *libr. 1. praeſ. q. 19. n. 1.* aut etiam tacito conſenſu, quem jura recipiunt pro placito, *l. de quibus ff. de ll. c. ſuper quibuſdam de V. S.* ut & antiquitatem temporis pro lege, *l. 1. §. fin. de aq. pluv. arc. l. hoc jure. §. ductus aquæ. de aq. quot. & aſtiv. c. ad audientiam de præſcript.* exercitia juriſdictionis & Majeſtatis principum admiſerit, vel ſine contradictione tolerarit,

 licet,

licet, donatio ab initio revocari potuiſſet: tamen eo ipſo facta fuiſſet irrevocabilis, quia juri ſuo potuit populus renunciare: *quamvu pact. de pact. in 6. c. cum contingat. de jurejur. c. licet. eod. in 6.* & renunciantibus non datur regreſſus. *l. poſtquam liti. C. de pact.* Quod enim ſemel placuit ulterius diſplicere non poteſt, & quod fuit arbitrii à principio, ex poſt facto factum fuit neceſſitatis.

14. *An præſumatur populus omne imperium abdicare.*

Nec valet præſumtio Vaſquii *d. c. 47. n. 11.* quod populus præſumatur ſibi retinuiſſe poteſtatem abdicandi, propter generalitatem. *l. omnes populi. de juſt. & jur. §. ſed naturalia. Inſt. de jur. nat. l. 2. §. deinde quia de orig. Iur.* Et quia nocentiſſimum eſſet populo, ſi poteſtatem omnem deponeret. Quod autem nocentiſſimum, non præſumitur. *l. cum de indebito. ff. de probat.* Nam expreſſa voluntas, quam in reſponſione præſupponimus, excludit præſumtionem, cum Bald. *in conſ. 451.* Statuto civitatis Mediol. *col. ult. verſ. ad ultim. lib. 1.* dicat ſermonis proprietatem prævalere præſumtæ menti, quod licet Angelo dubium ſit *in conſ. 26. punctus eſt in ann. col. 3. verſ. Si autem nulla conject.* quoad ſermonem, tamen cum & ſermo & præſumtio ad detegendam mentem redigantur, neutrum locum habet, ſi de mente & voluntate conſtet. Et licet præſumtionibus contendere velimus, tamen adhuc judicandum erit pro principe, quia in dubio præſumuntur contrahentes ſe voluiſſe ad jus commune conformare. Ius autem commune Regum eſt, ex propria natura regni iis debitum, ut ſcil. plena & abſoluta poteſtate utantur in ſubditos. Nec id nocentiſſimum futurum eſt ſubditis, quia intereſt Reipubl. ut poteſtas omnis transferatur, in unum, *l. 2. §. noviſſimè de orig. Iur.* ex qua neceſſitate primùm prodiit Dictatura apud Romanos, *quoties opus erat*, ut dicebat Appius Claudius, *libero homine, & exoluto vinculis legum*, ſive ad reprimendas ſeditiones, ſive ad mutandum aliquid in Rep. deinde coacti iidem omnem potentiam, cui exequendæ non erat indocta & turbida multitudo, reſignarunt in manus Imperatoris, ut ait Tacit. 1. *Anal* & à nobis demonſtratum fuit alibi *in libell. de præſtantia Monarch*: Rectè enim exaggerat Bodin. *2. de Rep. c. 1.* Anarchiam, quam ex Republ. mixta oriri fingit, indeque prodire aſſerit, ſi populo relinquatur licentia clavum regnandi eripiendi regi, quia imperium ejus nequit eſſe ſalutare, quod non eſt niſi precarium, & autoritate regia deſtituitur.

CAPUT

CAPUT II.

Probatur autoritate ſacrarum literarum, in Principem impium & injuſtum non licere ſubditis arma capere, & rejiciuntur obratiocinationes Adverſariorum ex iiſdem deductæ.

SUMMARIA.

1. *Aſſertio adverſariorum turbat quietem Reſp. & implet eam injuſtis ſeditionibus.*
2. *Non tantum bonis, ſed & malis principibus obediendum ex præcepto Apoſtolorum, contra effugia & reſponſiones adverſariorum.*
3. *Etiam degener princeps, quatenus poteſtate utitur legitima, dependet à Deo, propter quam ipſi obtemperandum eſt.*
4. *Argumentum ex defectione Idumæorum & Libnenſium refutatur.*
5. *Imperatores Orientis nullos fuiſſe depoſitos à populo propter pravas de religione opiniones.*
6. *Juſſu ſacrarum literarum & exemplis primitivæ Eccleſiæ orandum etiam eſt pro pravis principibus, nedum, ut contra eos hoſtiliter machinari liceat.*
7. *Pravis principibus obediendum eſt in iis, quæ ſunt principum, non in iis, quæ ſunt Dei aut contra Deum.*
8. *Imperantibus contra Deum non quidem obediendum, ſed nec reſiſtendum à ſubditis vi & armis illicitis.*
9. *Exemplo Ieremiæ captivi demonſtratur, jurisdictionem non fuiſſe penes principes populi ſeu optimates, ſed penes ſolum Regem, contra Brutum.*
10. *Iojakimum non fuiſſe judicatum à Synedrio, propter homicidium Vriæ prophetæ, contra eundem.*
11. *Licet non ſit vi reſiſtendum impiis principibus, fas tamen eſſe, ſupplicibus literis apud eos intercedere.*
12. *Aut ſi nihil profuerint etiam preces, fugam à religione eſſe conceſſam.*
13. *Iterum probatur tota aſſertio teſtimoniis & exemplis primitivæ Eccleſiæ ſub Conſtantio, Iuliano, Valente, Valentiniano, &c.*
14. *Rebellionis pœna & clades ſolet in ipſos expetere ſubditos.*
15. *Probatur pars altera, quod ſi non in Idolatram, multò minus in aliis vitiis infectum principem vi inſurgere liceat ſubditis.*
16. *Davidem abſtinuiſſe manum à Saulis ſacroſancto corpore, non ex perfectione charitatis, ut Pontificii objiciunt, ſed ex debito mandati.*
17. *Enarrantur ſententiæ autorum, qui nobiſcum idem in hac quæſtione docent, ſentiunt, & decernunt.*
18. *Reiicitur aliud Buchanani effugium, diſtinguentis inter poteſtatem & perſonam ea utentem.*
19. *Verum Paul. Rom. 13. loquatur tantum de poteſtate juſta, & moderata.*

POſtquam conſtat Adverſarios ſtatim in limine impingere, & in fundamentis ipſis aberrare, quod propoſitum fuit nobis demonſtrare, in præcedenti capite pergendum jam eſt ad Theſin ſeu aſſertionem ipſam, & oſtendendũ neq; ex ſacris literis, neque ex jure naturali ſubditis competere ullam juriſdictionem in principes abſolutos, quin potius, qui tale quid moliantur, injurios eſſe in DEUM & Naturam, cu-

jus leges perrumpant & temerè pedibus conculcent. Neque enim,
1. ullo vel divini vel humani juris conſenſu probari poteſt, quod & Rei-
publicæ quietem perturbat,& licentiam peccandi impunè ſubditis tri-
buit, cum omnia jura, id genus aſſertiones deteſtentur, *l. illud conveni-*
Damnata ſavius hæc aſſertio, ut hæretica. *re de pact. dotal. l. ſi unus. §. illud tamen. de pact. cum ſim.* & hæc ipſa quo-
que, quam impugnandam aggredimur, non tantum inter dogmata Wi-
cleffi. *in Synod. Conſt. Seſſ.* 8. *&* 15. damnata ſit, *quod ſit hæretica ſcandaloſa,*
& ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias det, ſed &
à principibus in Francia Senatoribus rejecta, cum ageretur de libello
Johannis Parvi, quo ſimile paradoxum propugnarat, ad excuſandam
cædem Ducis Aureliorum, à Burgundo perpetratam. Quartam enim
cauſam reprobationis ejus libelli aſcribit Gerſon *in cenſu Error: aſſer-*
tor: per Johan. Parv. *circa precept. Non occides.* Quod *aperiretur via, ad*
homicidia Regum aut principum quorumcunq; ad violationem fidei & jura-
menti, ſi liceret impune eos propria authoritate enecare, aut in eos fraudes
moliri: daretur & occaſio ſubditis rebellandi & contemnendi principes. Ne-
mo enim ambitioſus, aut à principe caſtigatus non fingeret in eum ingentia
crimina, ut eum populo exoſum redderet: nulla eſſet imperandi ſecuritas, &c.
Ipſe etiam Gerſon alibi *in tr. de auferibil. Papæ conſ.* 14. benè dicit ab
Ariſtotele notatum: *Peſſimum eſſe conſueſcere non obedire principi,* ſive
Regi, quoniam, ubi datur plebi licentia in principem, nunquam poteſt
Reſpubl. à ſeditionibus conquieſcere, quod Ciceronis verbis *in orat.*
pro domo ſua in Clod. quam meis, explicare malo: *Date,* ait, *plebi licen-*
tiam & intuemini paulisper animis juventutem, & eos maximè, qui immine-
re jam cupiditate videntur in poteſtatem regiam: Collegia medius fidius ple-
bis tota reperientur, hoc jure firmato, quæ coeant de Regum bonis & vita, præ-
da præſertim populari & ſpe impunitatis oblata. Nec enim principis per-
ſona unquam concutitur, quin ejus ruina trahat ſecum pernitiem to-
tius Reipubl. ut Sfort. Odd. *de reſt. in integr. part.* 1. *q.* 3. *art.* 14. *num.* 90.
& Dec. *conſ.* 410. *num,* 20. *lib.* 2. docent, & jura ipſa, ſecuritatem per-
Reprobata à ſacris literis. ſonarum principum non minori ſeveritate ſancientia, quam Reipubl;
demonſtrant, imò ipſæ etiam ſacræ literæ, ſiquidem Jeremias jubet Ju-
dæos orare etiam pro Reipubl: in quam ſint abducendi ſalute, ex hac
ratione: *Quia ſi illi benè erit, & vobis erit,* quippe ſub illius clientela vi-
cturis. *Jerem.* 29. D. Paulus 1. *Tim.* 2. non tantum honorem & tributa
Ethnicis principibus adjudicat, ſed & preces pro ipſorum ſalute im-
perat, *quò tutam & tranquillam vitam ſub eorum tutela agamus in omni ho-*
neſtate &c. In tantùm quippe ſalva eſt Reſpubl: quantum caput ſalvum
maneat,

Digitized by Google

manet, à quo regitur, & minori cum malo ſæpe toleratur malus princeps, quam ejicitur, ut *in c. u. t.* ſubijciemus. Nec enim Paulus loqui potuit de Chriſtianis Regibus, qui tum nulli erant, ſed de impiis & cultu Idolorum omnia inquinantibus. Pro his vult ab Eccleſia etiam orandum eſſe, quo ipſa tuta & tranquilla ſit cum illis: Tantum abeſt, ut ſubditis occaſionem aliquàm, aut anſam ab illis, propter Idololatriam, deficiendi porrigere voluerit, quemadmodum adverſarij contendunt, & Pontifices Rom: non rarò ſub pœna æternæ damnationis ſubditis imperarunt, *Sigon. 9. hiſt: Ita.*: cum è contrario Apoſtoli, eandem pœnam inobedientibus ſubditis minitentur, quorum præcepta ab adverſariorum reſponſionibus defenſa, paulò latius hic nobis explicanda ſunt.

Dum enim *Rom: 13.* dicitur: *Quicunque poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*, & *1. Pet. c. 2. Subjecti eſtote omni poteſtati humanæ propter Deum*, primùm excipiunt adverſarij *Malos principes*, quaſi obedientia debeatur tantum Bonis, quam diu ut ait Brut: *q. 1. bene imperant*, & præceptum Petri ſic limitant: ſubjecti eſtote omni poteſtati, quam diu limites officii non excedit, nec ad Tyrannorum inclinat malitiam. *2. Effugium adverſariorum.*

Quæ limitatio ſi hic rectè adhibetur, eadem ratione adhiberi debet ad præceptum de honorandis parentibus, ſi ſcil: boni ſint, ſi pij, ſi munera parentum non deſerant. Atqui Juſtinianus probè: *Quamvis legum contemptor, quamvis impius, tamen pater eſt*, §. *ſi verò in fi. Nov 12.* nec Jacob impium fratrem deſinit adorare, & venerari & Dominum ſuum vocare, licet ipſum degenerem & ſe in partem benedictionis & primogenituræ receptum certò ſciret. *Gen. 15. & 25.* Haymo Epiſc: Halberſt: *in c. 13. ad Rom.* non minus appoſitè ad mentem Apoſtoli: *Sive bona ſit illa poteſtas, ſive mala, quicunque ei reſiſtit, ſubtrahendo ſervitium ab ea, denegando tributum, & honorem non præbendo, quem ei debet præbere,* DEI *ordinationi reſiſtit & diſpoſitioni, cujus ordinatione illi principantur.* Nam ſi Petrus juſſiſſet tantum exhiberi obedientiam bonis principibus, nihil juſſiſſet arduum, aut quo gratiam & benedictionem promereri quis poſſet, quia bonos amare, in proclivi eſt cuique, & naturali inclinatione eò ferimur, ut ijs benè & ex animo velimus. *Si dilexeritis diligentes vos* ait Chriſtus, *quam mercedem habebitis? Nonne Ethnici & publicani hoc faciunt? Matth. 5.* Sed ea demum eſt gratia, ſi pro odio amorem, pro violentia reddamus patientiam, pro Tyrannico imperio obedientiam: Id quod porrò patet ex conſideratione, Eorum, quibus vult Apoſtolus, propter DEUM obſequium præſtemus. *Diluitur.* *Etiam malis principibus ob ediendum:*

Scribit

Scribit enim ad fideles in Ponto, Bithynia, & Cappadocia, ſubjectos, non tantum Ethnicis & impiis principibus, ſed etiam, ſi Buchanano ipſi credimus *in Dial: de regn: Scot.* Tyrannis, cum omnes Aſiæ Reges una ſententia Tyrannos pronunciet. Vult igitur ut impiis quoque magiſtratibus, & per vim provinciis incumbentibus pareamus: imò, ne malos principes excipere poſſimus, expreſsè addit obtemperandum etiam eſſe Dominis σκολιοῖς; quod vocabulum vulgata verſio, obſcurum interpretans per obſcurum, alio Græco nomine reddidit, *δυσκόλοις*, quaſi dicere voluiſſet, *Difficilibus*. Ridiculè enim Hugo Carrenſis & Beda ſcribunt. *Dyſcholos*, & Etymologiam, à ſchola derivantes, detorquent in principes alienos à ſcola indoctos, rudes, &c. Ex nativa enim ſignificatione denotat difficilem, quo verbo ipſum nomen σκολιὸν, quoque reddidit Fulgentius, *teſte Beda*, nec eſt ignotum Theologis, quod Fulgentius, 1. *de myſt: med Chriſt.* hac D. Petri ſententia etjam Arrianos Reges à rebellione Orthodoxorum tutos præſtare velit. Eraſmus vertit *pravum & aſperum, in annot; ad d.c. 2. difficiliorem & aſperum, in paraphr: Ejuſd:* Arria. Montanus *pravum*, quem ſequitur Beza *in Annot.* ſicut σκολιαὶ δίκαι dicuntur apud Heſiod: *in oper:* Propriè enim deſignat *tortuoſum & obliquum.* Significationi vocabuli ſubſcribit totus contextus Epiſtolæ Apoſtolicæ, quando *d. c. 2, v.* 19. *&* 20. rationem ſubijcit Petrus, quare ſervi debeant etiam obedire Dominis pravis: *Quia ea demum gratia eſt, ſi quis ob conſcientiam malum patiatur, & injuriam ſeat: ſi quis non ob maleficium quoddam vapulet, aut feriatur, ſed ob beneficium.* Illis enim Dominis tribuit obſervantiam, qui opprimunt, qui verberant, qui injuria & malo afficiunt: ſeu quos Brut: Bucher: & Buchan: Tyrannos uno nomine vocant. Tiberium ſi quis crudelem parricidã, imperij decoctorem, adulterum & ſcortatorem, Idololatram, omnis flagitij & nequitiæ artificem dixerit, nondum omnia ejus vitia enarraverit: Huic tamen reddi vult Chriſtus, quæ ſunt Cæſaris, *Matth.* 22. videlicet, vectigal, tributum, honorem, timorem, quæ magiſtratibus deberi *ex c.* 13. *ad Rom.* colligit Luther. *in lib. de vol: & eff. magiſtr. part.* 3. §. So ſprichſt du *An:* 1523. *edito Tom.* 2. *Ien:* & Ambroſius ait; *in Epiſt: Tributum Cæſaris eſt, non negatur. Eccleſia Dei eſt, Cæſari utiq, non debetur.* Conſpicetur mihi quiſquam Herodem aut Neronem, ſpecula flagitiorum & monſtra hominum. Illum tamen ſemel Vulpem Chriſtus, *Matth.* 13. hunc Leonem Paulus vocat. 2. *Timot. c. ult.* quæ ſola verba duriter contra Tyrannos ejus temporis in novo teſtamento prolata notat Matheſ: *in libell: an.* 1567. *edito, ſub tit.* Wie ſich Gottſelige Unterthanen halten ſollen

Quis ſit Dominus σκολιὸς

Pravis principibus obediunt boni Chriſtiani.

ſen/zur zeit der Verfolgung. & Cornel Janſenius *commentar. in concordant. Evang: cap. 91. col. 3.* putat id verbi non excidiſſe CHRISTO in contemtum magiſtratus, ſed prolatum fuiſſe ex autoritate Spiritus & ad demonſtrandam potentiam patris qui ſit Dominus Regum, & cui reliqui omnes rationem reddere teneantur. Caij laudes his verbis ennarrat Joſeph. 19. *Antiq: c. 2. Vir & ante principatum maleficus, voluptatibus deditus, & fautor delatorum, periculorumque metuens, atq; ea de cauſa ſanguinarius, unicum fructum potentiæ exiſtimans, ſi abuteretur ea contra immeritos, & prædas ex injuſtis cædibus ac rapinis ageret, attollens ſe ſupra humanum faſtigium, popularis; aſſentatione depravatiſſimus: Legum cancellos non ſecus quam virtutum impedimenta abominans, & ne intimam quidem amicitiam pili faciens, quoties ira ſtimularetur ad vindictam & ſupplicia: oſor bonorum virorum omnium, quicquid collibuiſſet, citra omnem contradictionem ſibi licere poſtulans, quare ne à ſororis quidem Germanæ ſtupro abſtinuit.* Tot verò ac tantis ſceleribus nobilitatum, nullus Divorum Apoſtolorum ab imperio amovit, aut ſubditis Chriſtianis, ut id tentarent, autor extitit: Sed potius, quod Pontificijs repoſitum volumus, cum Andreas Apoſtolus ab Egea prætore Achajæ ad mortem raperetur, cujus meminit etiam Niceph*or: lib. 2. c. 39.* & populus ea de cauſa tumultum excitare pararet, manu & verbis gliſcentem ſeditionem repreſſit, *ſi quis Diſcipulo de Tempore fidem habere velit,* ne ſe martyrij gloriæ & ſperatis eriperent gaudiis.

Quid ad hæc Bucherius? prætorem injuſtè & impiè agentem magiſtratum non eſſe, cui non tantum impunè non parendum, ſed & iniquè uſurpatum imperium à populo eripiendum. Nimirum ita quoque Chriſtus cenſuit, qui etiam Scribis & Phariſæis auſcultare juſſit: *Matth. 17. & 22.* Ita Paulus, qui illud *Exodi. 22. principi populi tui non maledices,* etiam de Anania interpretatur, à quo injuſtè erat læſus. *Act. 23.* Habent enim & mali degeneresve principes poteſtatem, ſi ſit legitima, à DEO, ſicut, licet Samuelis filij ab eodem ſupra tribus conſtituti, muneribus corrupti jus perverterent, tamen, cum injuſti magiſtratus pertæſus populus jugum ejus excutere vellent, *Non te* inquit Dominus ad Samuelem, *ſed me ſpreverunt. 1. Regum c. 8.* Eſſeni olim docebant diſcipulos *quam maximè fidem ſervare, præcipuè principibus. Neque enim abſque voluntate Dei cuiquam poſſe principatus potentiam contingere cenſebant.* Joſeph. *2. bell. Iudic. c. 7.* Pilatus abutebatur poteſtate ſua, cum inſontem damnaret: & tamen Chriſtus ait: *Non haberes in me poteſtatem, niſi tibi data eſſet deſuper.* & Daniel. *c. 2.* teſtatur *Nabuchdonoſori datum regnum*

5. Principes pravi habet aliquid legitimum a DEO.

Digitized by Google

gnum & poteſtatem à Deo, quem tamen ſtatim *c. 3.* tres in fornacem conjecti viri vocant *regem injuſtum & peſſimum ultra omnes homines.* Abſolutè dicitur, *Proverb. 8. Per me reges regnant*: & Apoſtolus *Rom. 13.* omnem poteſtatem Dei ordinationem vocans, intelligit procul dubio etiam Romanam, quæ impia erat & ex parte Tyrannica. Erat Conſtantius Arrianiſmo infectus, & plurimos Orthodoxorum patrum ejiciebat in exilium. De hoc tamen Hoſius *in Epiſt. Athan. ad ſolit. vit. agent. Tibi Deus imperium commiſit, nobis, quæ ſunt Eccleſiaſtica, concredidit. Qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ*, &c. Creat quidem Deus etiam mala pœnæ, de quo dicitur, *Proverb. 28. Propter peccata terræ multi principes ejus*, & *Job. 34. Facit regnare hypocritam propter peccata populi.* Verum Tyrannos ſive Tyrannicam poteſtatem non conſtituit, nec fovet, nec contra eos legitimis modis nitentes damnat, quemadmodum idem morbos immittit pœnas peccatorum, nec tamen vetat medicamentis contra eos uti. Conjecerat Iſraëlitas Deus in Tyrannidem Cananitarum & Moabitarum: & tamen excitabat Athniel & Ehud, ut horum virtute oppreſſos liberaret è manibus hoſtium. *Iud. c. 3.* Sed qui machinatur contra poteſtatem legitimam, licet aliqua ex parte exorbitantem, contra ipſam ordinationem DEI machinari dicitur: ideoque poteſtas legitima aberrans, diſtinguenda eſt à Tyrannica. Nam pravos Reges, quoad ſunt pravi, negat Oſeas *c. 4.* eſſe ex DEO, & Eſaias *c. 10.* Væ pronunciat iniquas leges condentibus, unde elicit Alphonſ. de Caſtr. *contra hæreſ.* quod Tyrannorũ poteſtas non ſit à Deo. Omnibus enim Tyrannis in perſona Salomonis minitatur Deus exitium, *1. Reg. 9.* quod executus non ſemel eſt, quando Abimelechum, *Iud. c. 9.* Abſalonem, Adoniam, *2. Sam. 18. 1. Reg. 1.* Jeroboamum, Baaſamum Achabum, *Reg. 12. 16. 20.* ſubita vindicta è medio ſuſtulit, quia cum poteſtas Tyrannica prorſus & funditùs ſit perverſa: nihil a. perverſum proficiſcatur à Deo, nequit Tyrannis Deus aliter præſto eſſe, quam connivendo & permittendo, quod propter peccata populi mutare non vult. Poteſtas verò principum & Regum, licet vitiis quibuſdam deturpetur, tamen propterea non fit ex toto illegitima, nec tota eſt à Diabolo, ſed à Deo, legitimi ordinis unico autore. *Ordo autem regiæ poteſtatis non debet vituperari*, ait Auguſtin. *c. neq; enim. §. ult. 14. q. 5. ſi Rex crudelitate Tyrannica ſæviat*, ſed vitia & corruptelæ, quæ originem trahunt à Diabolo, ſejungendæ ſunt à poteſtate legitima, quæ quatenus legitima eſt, & eſſentiam ſuam per adjuncta vitia non perdit à Deo eſt & fovetur, ſubditoſque propter Deum & conſcientiam ſibi obligatos retinet.

Pravi principes non ſtatim ſunt Tyranni.

Ut au-

Ut autem, quod in genere propoſitum & probatum eſt, per ſpecies deducamus, & quam conſtanter primitiva Eccleſia etiã vitia legitimorum principum, licet non probaverit, tamen toleraverit, quædam ipſorum ſpeciatim in theatrum producemus, & religionis violationem ante omnia, quod nulla ex æquiori cauſa ſubditi vulgò creduntur rebellionem poſſe licentius excitare, quam ſi vera religio mutetur in falſam. Brutus hoc crimine feloniam committi clamat, & tanquam ex crimine læſæ majeſtatis, regni jura & omnem poteſtatem recidere in manus Dei, quod quidem nos non negamus, ſed falsò inde deduci ſtatuimus ab eodem: Commiſſa regna poſſe auferri à ſubditis, quia non ſunt tradita à ſubditis, nec commiſſa per peccatum in ſubditos ſed in Deum, Nam feloniam committens Vaſallus à nemine judicatur, niſi à Domino, in qué peccavit. De ſententia verò Dei, quia non tantum incerti ſunt ſubditi, ſed quia judicium iis prorſus ademtũ eſt de illis, qui ſolius Dei examini reſervantur, non poſſunt, niſi peculiari juſſu divino, ad pœnam incompetenter infligendam properare, de qua re uberius diſputavimus *lib. 1. c. 6. n. 8. de jur. Majeſt.* 4. *Utrum ob mutationẽ religionis deſeri poſſit princeps.*

Roſſæus, *de autorit. Reip. c. 9. n. 9.* ſcribit, Hebræos etiam contra proprios Reges è Davidica ſtirpe pro religione ſolitos fuiſſe bella gerere. Itane verò Peregrine? qui tam peregrinus es in ſacris literis, ut ne ullum quidem tuæ aſſertionis documentum inde proferre queas: Et nos Græca vivimus fide: gratis nemini credimus: niſi argumenta profeſat aut exempla. Nam Idumæis & Libnenſibus affingitur, quod à Ioramo defecerunt, propterea, quod is veram religionem demutaſſet in Iſraëliticam, cujus rei ne ſuſpitionem quidem præbent ſacræ literæ, 1. *Reg.* 8. 2. *Paralip.* 21. & quod à ſacris literis non affirmatur, facilius rejicitur, quam aſſeritur. *De defectione Idumæorum & Libnenſiũ:*

Scribitur quidem in literis Eliæ & cauſa defectionis adjicitur, quod Rex deſeruiſſet Deum parentum ſuorum: Sed hinc nihil ſequitur, niſi quod Deus punierit peccatum Regis defectione ſubditorum: Quod verò ſubditi, defecerint ob hoc peccatum, & non ex alia cauſa, non magis inde ſequitur, quam quod Ioas trucidatus fuerit à ſicariis propter cultum Idolorum, quia & hic adjicitur: *Dereliquerat enim Dominum Deum ſuum. 2. Paral. 24.* Deus eſt, qui punit, & pro qualitate regum diſponit corda ſubditorum, ut ait Gregorius & Euſtatius. *c. 1. 2. q.* 7. qui ut plurimum, cui miniſterio adhibeantur, ipſi ignorant, *ut in tract. de cauſis bell. cauſ. 2. deduximus.* & proinde licet exequantur voluntatem Dei, quia tamen non ea, qua Deus vult, intentione exequuntur, excu-

Digitized by Google

ſati à peccato non ſunt, ut cum Deus ſæpe puniat peccata per peccata, ut de homicidio Ioæ ante dictum eſt. Juſtè quippe Ioas occiſus eſt, ſed homicidio juſtè non occidit, quia factum ejus æſtimatur ex animo. Jure pertulit David lecti ſui ſceleratam inquinationem, quam adulterio promeritus erat, ſed adulteri propterea à crimine non liberantur. Juſtè punivit DEUS Idololatriam regum Judæ gladio Aſſyriorum, *Eſa. 10. 2. Reg. 17. 23. 24.* ſed Aſſyrios, aliud animo ſibi proponentes, Zelus DEI excuſatos non reddidit, quin potius pari periculo victores abſumti fuerunt, cum victis, ut videre eſt, *Eſa. 10 Iud. cap. 4 2. Reg. 12. 10.* Iuſtè igitur punitus eſt rebellione Idumæorum, ſed Idumæorum factum ecquis propterea probaverit? nemo credo niſi qui non legerit, etiam injuſtis armis cecidiſſe ſæpe populum Iſraeliticum, propter peccatorum ſuorum multitudinem. Quod verò Idumæi non defecerint ob mutationem religionis, ex eo manifeſtum eſt, quia non obſervabant mandata legis Iudaicæ licet circumciderentur, ut notat Hieron. *in c. 9. com in Ierem. in fi.* Subacti quidem leguntur à Davide, *2. Samuel. 8.* ſed paulò poſt ad vomitum redierunt. Nam, ſi prætextu religionis defeciſſent, reſtituta religione debuiſſent ad Dominum reverti.

5. *De exemplis Eccleſiæ Orientalis.* Porrò, Bucher. *lib 2. c 19.* deſtitutus exemplis ſacris, rem nititur conficere exemplis quibuſdam Eccleſiæ in Oriente. Baſiliſcum enim Imperatorem ſcribit imperio exutum, quod Chalcedonenſe concilium abrogaſſet, ſuaſu Alexandrini Epiſcopi Timothei, quanquam jam ſententiam revocaverit, cum Acacius Conſtantinopol. Epiſcopus tumultum contra ipſum excitaſſet, Evagr. *lib. 3. c. 4. & 7.* Huic ſubjicit Anaſtaſium, Eutychianum, ſeu ut loquitur Cedrenus, Synchytam, Zenonem, Heraclium, & Philippicum, quos omnes oportuit propter hæreſin à ſubditis imperio privatos eſſe, ut ad rem præſentem trahi poſſent. Neminem verò eorum quicquam ejuſmodi perpeſſum fuiſſe, ex fide hiſtoricorum cuivis manifeſtum eſſe poteſt, qui è longinquo ſaltem eas intueri voluerit. Baſiliſcus potuit à ſolio depelli, quia legitimus imperator non erat, ſed Tyrannus imperiumque, Zenoni ereptum per vim invaſerat. Nobis autem ſermo inſtituitur non de Tyranno in titulo, ſed de principe legitimo. Præterea Baſiliſcum non propulit à ſolio, quiſquam ſubditorum, ſed quem ipſe per injuriam excluſerat, is, tanquam legitimus princeps jus ſuum autoritate imperatoria repetebat. *Baſiliſc.* Zonar. *lib. 3.* Evagr. *lib. 3. c. 8.* Excitarat quidem ante adventum Zenonis ſeditionem Conſtantinopoli Acacius: Evagr. *3. c. 7.* Theodor. *lib. 1. Collect. circa fin.* Sed exemplis non eſt judicandum. Denique exactus fuit

Baſiliſcus

Baſiliſcus non propter abrogationem Synodi Chalced, ſed propter abrogationem imperii, quod Zeno ſibi repetitum veniebat.

Nec Zeno unquam excidit imperio propter pravas de religione opiniones, aut quod ignavus & vitiis deditus eſſet, nec id infortunii paſſus eſt à ſubditis: ſed negligentia ejus abuſus Baſiliſcus, Auguſtæ frater, deſertam & vacuam occupavit aulam, Niceph. *lib. 16. c. 2.* Evagr. *lib. 3. c. 3.* quo viciſſim ejecto, & recuperato imperio tandem comitiali morbo extinctus eſt, Niceph. 16. .. 24 Evagr. 3 *c. 29.* aut vivus ſub terram ſepultus ab Ariadne uxore, ſi Zonar: *credimus* & Cedren: quæ ſtatim poſt 40 dies nupſit Anaſtaſio, cujus itidem exemplum fruſtrà objicit Bucher: qui licet populus Conſtantinop: contra ipſum inſurrexiſſet, quod ad hymnum Triſagium adjectum cuperet: *Qui crucifixus es propter nos*: tamen Catholicorum id nemo probat, certè non Evagr. *lib. 3. c. 44* nec Nicephor. *lib. 16 c. 42.* Nam cum Severus Eutychianus Macedonio objiceret, quod ſeditionis autor eſſet, ab utroque ſedulò excuſatur, nec voluerunt tantum crimen Epiſcopo Orthodoxo inuri. Imò ne populus quidem ipſe eò commotus eſt, ut propter hæreſin Imperator à ſolio præcipitaretur, ſed ut ſinceram de Trinitate doctrinam ſibi retinere liceret. Cum verò Anaſtaſius, ut furorem populi faciliùs compeſceret, coronam quoque ſeſe paratum eſſe reſignare reſponderet. *Populus*, inquit Evagr: *quaſi divino nutu captus*, ſceleriſque pænitentia ductus, Anaſtaſio, ut coronam retineret, ſupplicavit. Paulò poſt verò Deus ipſe injuriam ſibi ab Anaſtaſio factam ſubitanea morte ultus eſt. Ipſe enim vindicem gerit dextram; ipſe retribuit, quo tempore videtur, quemadmodum Moiſi, vindictam in articulo exigenti, reſpondet. Fulmine territum ſcribunt Zonar. & Cedren: & ex utroq; Funcc: *in Chron.* Alij peremptum: Ita enim ex oraculis didicerat: *Ob perverſitatem tuam vitæ tuæ annos 14. detraho.* Zonar. *libr. 3.*

Zeno. Anaſtaſ.

De Heraclio, non video quid objici queat, cum poſt annos 31. in imperio exactos tandem hydrope mortuus ſit, & poſteritatem longa ſerie poſt ſe in imperio reliquerit. Zonar. & Diac: *in Heracl*: Philippicus, licet ſuaſu Monachi, qui eidem imperium prædixerat. VI. Synodum generalem abrogare niteretur, tamen à ſubditis propterea non fuit abdicatus, ſed à Theodoro patritio Myaceſij ex privata factione oppreſſus & oculis orbatus quam pænam idem Theodorus poſtridiè paſſus eſt. Zon. & Diac: *in Bardan*: Ex quibus omnibus apparet, nullum nedum præceptum, ſed ne exemplum quidem ex ſacris literis, aut praxi primitivæ Eccleſiæ produci poſſe, quo rebellio ſubditorum, cõtra principem dere-

Heracl. *Philippic.*

de religione malè ſentientem, probetur: Nobis jam è contrario incumbit demonſtrandum, tam ſacris literis, quam ſcriptis & factis SS. patrum, eam prorſus illicitam eſſe & prohibitam.

6. *Orandum etiam pro malis principibus. Ierem: Paul:* Nam quando Paulus 1. *Tim.* 2. vult, ut pro regibus boni publici cauſa preces ad DEUM fundamus, an de alijs, quam Ethnicis loqui poterat, cum nulli dum Chriſto nomina ſua dediſſent? Orare autem pro aliquo & in exitium alicujus machinari, an non hæc ſunt ſibi contraria? Jeremias jubet Judæos DEO commendare etiam illam Rempubl. in quam Tyrannicè erant abducendi: *Jerem: c.* 29. quemadmodum ipſa Daniel pro incolumitate Nabuchdonoſoris orat. Bellarmin verò, *libr.* 5. *de Pontif. c.* 7. *arg.* 3. ait. *Non tenentur Chriſtiani, imò nec debent, cum evidenti periculo religionis tolerare Regem infidelem.* Eant nunc SS. patres & quærant, qua ratione ſe ſint pontifici excuſaturi, quod non tantum ſolicitos ſe non habuerint de abdicandis Regibus infidelibus, ſed ad ſtabiliendum eorum dominatum, juſſu Prophetarum & Apoſtoli, preces quoque ad DEUM direxerint.

Tertul. Sic enim Tertullianus, quem ſub Severo Imp: vixiſſe conſtat, *ex libr. ad Scapul. & ex libr. adverſ: Mart: ubi* 15. *annum Severi allegat.* de univerſa Eccleſia illius ævi: *Omnibus Imperatoribus precamur, vitam prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis & Cæſaris vota ſunt.* Idem ibidem, cum accuſarentur Chriſtiani, quod per genium Imperatoris non dejerarent: *Nos,* ait, *pro ſalute Imperatorum DEUM invocamus, æternum DEUM, verum, & DEUM vivum, quem & ipſi Imperatores propitium ſibi præter cæteros, malunt. In libr. ad Scap: Marcus Aurelius in expeditione Germanica Chriſtianorum militum orationibus ad DEUM factis, imbres & victoriam impetravit.* Cur non ignem potius, ex præſcripto Sanderi, *libr.* 2. *c.* 4. *de viſ: Monarch:* exemplo Eliæ de cœlo exorarunt, ad conſumendum Impium Imperatorem cum totis exercitibus? Et ut appareat, quantopere diſcrepent hodiernæ Eccleſiæ Romanæ vota ab ijs, quibus olim litavit Eccleſia pro principibus Politicis, adjicimus literas, quas Sancta Synodus Ariminenſis ad Conſtantium Arrianum ſcripſit:

Synod. Arimin: *Dimitte nos ad ſuos quemque greges, ut precibus & DEO ſanctè colendo, tranquillis animis vacemus, oremuſque ſedulò pro tua ſalute, imperio & pace, quam DEUS tibi ſempiternam benignus largiatur.* Sozom. *lib.* 4. *cap.* 17. *in fi.* Theodor: *libr.* 2. *c.* 19. *in fi:* Et iterum in ſecundis literis: *Iterum has literas ad tuam clem: deſtinamus, obteſtantes, ut clementibus oculis & has literas parvitatis noſtræ, quibus reſpondimus pietati tuæ, & illas-*

Digitized by Google

& illas quas attulêre tuæ benignitati legati noſtri, quæque ipſi à nobis mandata habent, libenter ſuſcipias. Quam autem triſte fuerit & inconſentaneum feliciſſimis temporibus tuis, tam multas Eccleſias videri Epiſcopis carere, non minus, quàm nos, tua intelligit clementia. Quare rurſum te, glorioſiſſime Imp obſecramus, ut ante hyemis aſperitatem, ſi placeat humanitati tuæ, jubeas ad Eccleſias nos redire noſtras, ut omnipotenti D E O, *& Chriſto filio ipſius, Domino & ſervatori noſtro, pro ſtatu potentiæ tuæ, unà cum populo, quemadmodum fecimus ac facimus, maximo ſtudio ſupplicare poſſimus.* Theodor. *lib. 2. cap. 20.* Tripart: *libr. 5. cap. 12. aliſi:* Cum Innocentius congregaſſet conventum Epiſcoporum Lugdunum, non dabantur literæ ad hanc faciem ad Fridericum Imperat: nulla hæreſi, nullo notabili vitio. & propter quod vaſallus vel minimus potuiſſet in diſcrimen amittendi feudi devenire, infectum, ſed pro precibus minæ imperioſæ, pro admonitione, excommunicatio, tam ab Eccleſia, quam Republic: pro debita ſubjectione, arrogantia mandata reſcribebantur. Tanto intervallo diſtat hodierna Eccleſia Rom: ab illa veteri, quanto illa ſanctimonia vitæ, morum integritate, & pia doctrinæ ſinceritate hanc anteibat. Nondum quippe in Synodis auditum erat, vel à quoquam Orthodoxorum traditum, quod ſi non ſingulis, ut Buchananus *audet aſſerere* ſaltem, ut Brutus *q. 3. limitat.* univerſis aut Optimatibus, & ut ait Dionyſ. Carthuſ. *libr. de regim. art. 19. communitati univerſarum Urbium,* competat jus abdicandi regem hæreticum vel malè de Pontificis vita & religione ſentientem, ut Canonher. innuit *in princ. diſc: ſupra Tacit:* Salomon deſeruerat viã Domini, & ſcortatus erat cum idolis ſcortorũ ſuorum nec tamen D E u s indulſit populo unquam poteſtatẽ: aut hunc, aut quenquã alium, deteriùs degenerantem, à ſede regia deturbandi imò ne deturbatus quidem fuit Salomon, niſi in poſteritate ſecundum vaticinium Davidis, *libr. 1. Reg. cap. 1. & 6.* quoniam impune nõ ferunt ſuas tranſgreſſiones Reges, *ut objicit Bucher:* licet non caſtigentur à ſubditis. Deus enim reſervavit ſibi eorum ſupplicia, eò futura graviora, quò ipſi libertate & beneficio regali deterius & in plurium pernitiem abutuntur. Cum enim, dicente Otton: Friſing *in Epiſt. ad Frider: juxta Apoſtolum, Hebr. 10. omni mortali horrendum ſit incidere in manus* D E I *viventis: Regibus tamen, qui nullum præter ipſum ſupra ſe habent, quem metuant, eò erit horribilius, quod ipſi ſoli* D E O *peccent. Si enim,* ait Heli, 1. *Sam. c. 2. peccaverit vir in virum, placari ei poteſt* D E U S, *ſi autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Anaſtaſius compeſcit furentem populum, & effugit manus Longinorum ſed fulmini

Deus Vindex ſcelerũ regum.

cæleſti

cæleſti cervicem ſubtrahere non potuit. Julianum ſupra humanas vires evexerat fortuna etiam perverſis blandiri ſolita: ſed vel ſua confeſſione, dejectus fuit à manu Dei, ut ait Nazian. *in Iul. orat.* 1. Valens ſuperarat inſidias & arma Procopij, nec tamen potuit ſe omnipotentiæ divinæ ſubtrahere, cujus providentia ita periit, ut nec, quo genere mortis perierit, inter homines conſtet, & juſtis exequiis in hunc uſque diem caruerit. Marcell. *lib.* 31. Zonar. *in Val*: Ut effugiat impius manum Aſaelis, manum Jehu, non effugiet gladium Eliſæi 1. *Reg.* 19. ſeu ultionem divinam, quam Deus ſæpe miraculosè inſligere maluit, per imprecationes prophetarum, quam populo ſub ſpecie juſtæ vindictæ, feneſtram rebellandi aperire *DEUS ultionum Dominus liberè agit, Pſal.* 93. & *quæcunque vult facit, Pſal.* 113. nec in ejus judicium involandum eſt privatis hominibus, quia revelatum ipſis non eſt, utrum degenerem principem ex certa cauſa diutius tolerare velit Deus, vel extinguere. Licet enim indignum dignitate ſua ſe fecerit quidam magiſtratuum, ſine crimine tamen Majeſtatis eum privatorum nemo invadere poteſt, quoniam ſolus princeps de ipſo judicat, & fortaſſe etiam indignum in officio toleraturus eſt. Injuria opprimebantur Iſraëlitæ a Tyrannide Pharaonis. Miraculis tamen eos, quo ſibi viſum fuit, tempore liberavit Deus, & non per inobedientiam ſubditorum. Et qua quidem conſcien-

Ioſeph.

tia potuit Joſephus, cum eſſet princeps Optimatum, & totam Ægyptum cum regia pro arbitrio ſolus regeret, impium regem tolerare, ſi Eccleſiæ infidelis Rex non eſt tolerandus, ſecundum Bellarminum? imò quaſi de non veritus eſt Idolorum ſacerdotibus præmia diſtribuere quia erat

Daniel.

in officio Regis? *Gen.* 47. Ecquis unquam Daniel vel ipſe contra Nabuchdonoſorem quicquam molitus eſt, vel captivorum turbæ, ut molirentur, ſuaſor & autor extitit? An Naaman regi Syriæ, 4. *Reg.* 5.

7. Naaman &c.

Eunuchus baptiſatus à Philippo, reginæ Candac. *Act.* 8. inobediens extitit? aut etiam contra infideles principes infideliter ſe geſſerunt illi, quos ſub iis vixiſſe conſtat & affert Pfeffinger. *in libell. An.* 1551. 1559. edito, quo probat, licere piis hominibus ſub impiis vivere magiſtratibus, modò in impietatem non conſentiant nec ad eam ſuas conferant operas,

Magis obediendum Deo, quam homini.

1. *Cor.* 10. 1. *Iohan.* 5. quæ eſt etiam ſententia Phil. Melancht. & Mart. Buceri *in libell. de vitand. ſuperſt. adverſ. Pſeudonic. edem. Anno* 1550. Item Wolffgangi Muſculi & Johan. Mattheſii, quorum conſilia leguntur in *conſil. Biden. dec.* 1. *conſ.* 6 *dec.* 2. *conſ.* 5. Nam impiare ſe nemo debet erga Deum, prætextu obedientiæ, quia *Deo magis obediendum, quam homini. Actor.* 4.

Benè

Benè Prudentius *hym.6. de martyrio Fructuoſi Epiſcopi:*

Juſſum eſt Cæſaris ore Gallieni
Quod princeps colit, ut colamus omnes.
Æternum colo principem dierum,
Factorem dominumq; Gallieni.

Nolite timere eos, qui niſi corpus nequeunt occidere; Eum verò qui & corpus & animam, timete. Matth.10. c. nolite 11. q.3. Accommodatè ad propoſitum Auguſtinus *in Pſalm.124. ad verb. Quoniã non derelinquis,* de Chriſtianis ſub Juliano: *Julianus extitit infidelis Imperator. Nonne extitit Apoſtata, iniquus, Idolatra? Milites fideles ſervierunt Imperatori infideli. Ubi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant, niſi illum, qui in cœlo erat. Quando volebat, ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat: producite aciem: ite contra illam gentem, ſtatim obtemperabant. Diſtinguebant Dominum æternum à Domino temporali, & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali. c. Imperator. 11. q.1.* Sic etiam David vivebat ſub externo Rege, nec ejus imperium detrectabat, ſed ad bellum cõtra Saulem ſe adduci non patiebatur. *1. Reg.27.29.* Diſtinguendum n. eſt inter ea, quę ſunt magiſtratus, & omnem hominem obligant propter conſcientiam, & inter ea, quæ ſunt Dei, juxta præceptum Chriſti: *Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & Deo quæ ſunt Dei. Matth.22.* Cæſari autem debentur honor, timor & tributa in profanis, Deo in ſacris, ut docet Hoſius *in Epiſt. athan. ad ſolit. vitã agent.* & Ambr. *in Epiſt. contra Valent. Noli te gravare Imp. ut putes te in ea, quæ divina ſunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubjectus. Ad Imperatores pertinent palatia, ad ſacerdotes Eccleſiæ. Publicorum mœnium tibi jus conceſſum eſt, non ſacrorum.* Quod ſi ad jura Principis quoque pertineat religionem introducere & conſervare, miniſtros conſtituere & jus patronatus exercere, modeſtum eſt conſilium Wolffgangi Muſc. *An.1552.* editum, *ſub tit.* wie ein Chriſt viel lieber gewalt leiden / dann vnrecht thun ſoll. ubi *in med.* ita ait: wil der Gewaltige dieſer Welt nicht allein / die euſſere Mittel / ſo vns Chriſtus der HErr zu guten gelaſſen vnd verordnet hat / hinwegnemen / ſondern dagegen auffrichten / allerley Vnglauben / falſche Gottesdienſte / darzu auch blinden Führer / *Simoniacos*, faule Bäuche / Hurenführer / vnd Diener deß Widerchriſts in der Kirchen ſetzen / daß kan ein Chriſt nicht wehren / muß es dulden / vnd dem Allmächtigen mit ſchmertzen klagen vnd ſprechen: HErr es ſeyn Heyden in dein Erbe gefallen / vnd haben deinen H. Tempel verwüſtet /

dein Hauß iſt worden ein Mördergrube: Nim̃ du die Geiſſel/ vnnd treib darauß Käuffer vnd Verkäuffer. Wil aber der vnbillige Gewalt weiter greiffen vnd zwingen zum falſchen Gottesdienſte: ſolchen Gewalt iſt ein Chriſt nicht ſchuldig zu leiden / daß er jhn folge / &c. Neque enim tres viri obſecundant mandato Nabuchdonoſoris, *Dan. c. 3.* nec Daniel mandato Dei Darii, vetantis intra 30. dies quicquam à quoquam, quam erecto novo numine, petere: *Dan. c. 6.* quanquam erectioni imaginis nullus eorum interceſſit, nec reſtiterunt, cum ad ſupplicia poſcerentur, certi, *Sanctos in patientia ſua vincere. Apoc. c. 14. Prius eſt*, ait Ambroſ. *ut animam mihi, quam fidem auferat Imperator. c. convenior. 23. q. 8.* Judæi proteſtantur coram Petronio: *Feremus fortunam quamlibet, dummodo patriæ legis religio maneat incolumis.* Joſeph. *18. Antiq. c. 11. Cum enim pro noſtra fide reſpondemus*, (Verba ſunt Fulgent.) *in quantum facultatem divinitus accepimus, nulla contumacia ſeu contumelia debemus ſuſpicatione notari, cum nec regia dignitatis ſimus immemores, ſciamusq; Deo timorem, honorem Regibus exhibendum, Apoſtolica ita nos monente doctrina: Reddite omnibus debita, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem. Fulgent. libr. 1. de myſter. mediat. Chriſt. ad Thraſimund. Arrian. reg. Vandal.*

2. Dico, non eſſe obediendum principi imperanti contra Dei & naturæ legem; ſed vi & armis nego eidem reſiſtendum, quia Deus vetuit, & ordo parendi non patitur. *Scutum*, ait, Livius *lib. 3. dandum ſubditis, ſed non gladius. Miles etiamſi vitem tantum tenuiſſet, militiam olim mutabat, ſi de induſtria fregiſſet, vel manum Centurioni intuliſſet capite puniebatur. l. Milites. 13. §. 4. de re milit.* quanto magis ſubditi, quibus caput Imperatoris non minus ſacrum & inviolabile debet eſſe, quam militi. Dionyſius Carthuſ. *lib. de regim. Politiar. art. 19.* poſtquam toti, ut ipſe loquitur, civitatum communitati conceſſiſſet facultatem reſiſtendi principi Tyranno, cautionem hanc ſubjungit: *Nec tamen ob hoc deberent, ſe à principe ſuo omninò avertere, nec contra eum inordinatè procedere.* Quin imò dicente Ænea Sylvio *in lib. de ort. & autor. Imp. Rom. c. 16. Tolerandum eſt patienter, quicquid princeps facit iniquè, expectandaq; eſt vel Succeſſoris emenda, vel ſuperni correctio judicis, qui violentias, atq; injurias non ſinit eſſe perpetuas.* Eruditè ſimul & piè Gregor. Tholoſ. *lib. 26. de Republ. c. 5. n. 25. in fin. Potius relinquendi ſunt male regnantes judicio Dei, quam polluenda manus ſacrilegio & parricidio per ſubditum. Non caret Deus modis, quibus poſſit, quando voluerit, hujusmodi malos principes tollere vel emendare.* Et ſicut *ſupervacuis ad beneficia laborat impendiis, qui ſolem certat facibus adjuvare, c. ſi omnia 6. q. 1.* Ita ait Anacletus, *oleum &*

operam

operam perdere, qui, quam Deus ſibi reſervavit pœnam, humano & illicito ſe putet inſerre poſſe modo. Lutherus idem non uno in loco inculcavit & præcipuè *in lib. de poteſt. & off. magiſt. part. 3.* §. Wann nun ein Fürſt. §. Als daß ich deß ein Exempel. *part. 3.* §. So ſprichſtu denn. ubi ait Obrigkeiten ſoll man nicht widerſtehen mit Gewalt / ſondern nur mit Erkändtnuß der Warheit. Keret ſie ſich daran / iſt es gut / wo nicht / ſo biſtu entſchuldiget / vnd leideſt vnrecht vmb Gottes willen / quæ eadem eſt ſententia Philippi, & Buceri & imprimis Matthesii, *in libellus ſupra laudatis*, qui eam probat ex praxi primitivæ Eccleſiæ, & utitur exemplo Andreæ Apoſtoli, quod nos jam antea Bucherio, Bellarmino, Roſſæo objecimus. Imò ſi oculos in ſacras literas reducere velimus, ſtatim occurret Elias, qui ſe ſubtraxit furori Jeſabelis, unà cum ſeptingentis piis hominibus nec quisquam eorum legitur inſurrexiſſe occultis ſaltem machinationibus contra Regem 1. *Reg.* 17. Urias, quæſitus à rege Jojakim, ſubduxit ſe in Ægyptum. *Jerem.* 26 *ad fin.* Petrus, cum vi uſurus privata, enſem ſuum ſtringeret in poteſtatem, notoriam injuriam inferentem, audiit, quod generaliter in quamcunque privatam vindictam pronunciatum eſt: *Qui accipit gladium, gladio peribit*, eaque increpatione moniti condiſcipuli, cum idem raperetur ad carceres, non ad arma, ſed ad preces confugerunt, *Actor.* 12. memores ejus prophetæ: *Fortitudo Eccleſiæ conſiſtit in ſilentio & ſpe*, *Eſa.* 30. unde & Ambroſius reſponſum traxit, quod regeſſit Imperatori, cum urgeretur præceptis Regalibus, ut traderet altaria DEI & Baſilicam concederet Arrianis: *Volens nunquam deſeram: coactus repugnare non novi. Dolere potero, flere potero, gemere potero: Adverſus arma, milites Gothos, lachrymæ meæ mea arma ſunt. Talia enim ſunt munimenta ſacerdotis. Aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere. c. convenior.* 23. *q.* 8. Sola enim hæc arma Chriſtianorum vocat Nazianz. *orat.* 1. *in Julian.* & concilium Gangrenſe *c. quis alienum* 17. *q.* 4. nec non Bernhardus qui *in Epiſt.* 221. *ad Ludovv. Craſſ. tom.* 2. poſtquam injurias à rege illatas recenſuerat, addit: *At quicquid vobis de regno veſtro, de anima & corona veſtra facere placet, nos Eccleſiæ filii, matris injurias, contemtum & conculcationem omninò diſſimulare non poſſumus, profectò ſtabimus & pugnabimus usq; ad mortem ſi ita oportuerit, pro matre noſtra, armis, quibus licet, non ſcutis & gladiis, ſed precibus fletibusq; ad Deum.* Sed ut ad Ambroſium redeamus, & ab eo exemplum, nobis quod ex uſu ſit & ad imitationem, capiamus, de eo ſic refert Ruffin. *lib.* 2. *c.* 16. *Ambroſius adverſus reginæ furorem, non ſe manu defenſabat, aut telo, ſed jejuniis continuatis vigiliis, ſub altari poſitus per obſecrationes, defenſorem ſibi atq; Eccleſiæ Deum parabat.* Volebat

Urias. *Petrus.* *Ambroſ.* *Nazianz.* *Bernhard.* *Ambroſ.*

quippe Juſtina & Valentinianus ſibi traditam Baſilicam eò, quod & Imperator deberet habere Baſilicam; Ambroſius negabat tradere, quod non ſua eſſet, ſed Dei, cui præjudicium inferre non poſſet: *Si*, inquiebat, *à me peteret, quod meum eſt, id eſt fundum meum, & hujuſmodi meum, non refragarer, quamquam omnia, quæ mea ſunt, Imperatoriæ poteſtati non ſunt ſubjecta. Si patrimonium petit, invadite: ſi corpus occuram. Vultis in vincula rapere? Vultis in mortem? Voluntas eſt mihi. Non ego me vallabo circumfuſione populorum, nec altaria tenebo vitam obſecrans, ſed pro altaribus gratis immolabor. Horrebam quippe animo, cum armatos ad Baſilicam Eccleſiæ occupandam miſſos, agnoſcerem, ne dum populus baſilicam vindicat, aliqua ſtrages fieret, quæ in perniciem totius veniret civitatis. Orabam ne tantæ urbis vel potius totius Italiæ buſto ſuperviverem.* Tam ſollicitum ſe habet Ambroſius, ne qua ſeditio aut ſtrages ſui cauſa fieret, & Imperatoris injuria armis illicitis puniretur. Imò, ſi ageretur de rebus propriis, ne quidem negaturum ſe quicquam Imperatori ait: ſed res divinas veretur periculo exponere, ne religio ſincera in diſcrimen deduceretur, quod Epiſcopus admittere non poterat, quippe cui ea propugnanda commiſſa eſt, non armis aut gladiis, ſed precibus & pia ſollicitudine. Mala enim facienda non ſunt, ut eveniant bona, nec, *ut ait gl. in c. vos ſanctorum, Verb. conſtricti ſunt.* 15. *q. 6. qualitercunq; poſſumus, convenit vexare malos, ut ceſſent à malo.* ſed ita vexare, ne magis nobis obſimus, majusque malum contrahamus, quam malis. Tertullianus Chriſtianis ſummæ laudi vertit, quod nunquam inter autores ſeditioſorum inventi fuerint, licet impio principi ſubjecti. Sic enim *ad Scapul. Circa Majeſtatem Imperatoris infamamur: tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani vel Caſſiani,* (qui ſeditionem contra Severum excitarant) *inveniri potuerunt.* Item, *in Apol. Sed quid ego amplius de religione atq; pietate Chriſtiana in Imperatorem, quem neceſſe eſt, ſuſpiciamus, ut eum, quem Dominus noſter elegerit, ut meritò dixerim: Noſter eſt magis Cæſar, ut à noſtro DEO, conſtitutus: Itaq; ut meo, plus illi operor in ſalutem.* Memorabile in hanc rem narratur factum Euſebii Epiſcopi Samoſateni, à Theod. *l. 4. c. 14. Tripart. l. 7. c. 16.* cui Valens Imper. indixerat exilium per Legatum. Veritus enim, ne multitudo, audito Imperatoris mandato, in furorem ageretur, & vim inferret legato, amicè eum admonuit: caveret ſibi & ſaluti ſuæ, nec palam promulgaret edictum: multitudinem incenſam frenis rationis non facilè coërceri: ſe, inſciis omnibus, clàculum potius ſatisfacturum voluntati Imperatoris & iturum in exilium imperatum. Nec mora, noctu profugit Zeugma, quò cum fugientem confeſtim ſequeretur

Tertul.

Euſebius Samoſ.

tur populus, ipſe cepit iis Apoſtolica præcepta declarare, quibus jubeērentur modeſtè & patienter ferre edicta Imperatoria, & repreſſis, qui ad ſeditionem ſpectabant, animis, quietum remiſit populum, qui ſibi furioſus & plenus rebellionis occurrerat. Non diſſimili exemplo Athanaſius non unum in locum, nec uno tempore ceſſit poteſtati majori, & ſeditioſæ defenſioni antepoſuit ſecurum exilium. Conſtantinopolin primùm, Socem. *l.2.c.24.* mox Treverim Theod. *lib.1.c.30* deinde in Italiam Theod. *q.2.c.4.* & quo denique non profugiens. Theod. *lib.2. cap.13.* Satius quippe putavit & religioni, quam profitebatur, magis conſentaneum patientia, quam injuſta ſeditione injuriam Imperatoris ſuperare; ideoque *in Apolog. ſuis* ne verbulo quidem Chriſtianos ad illicitam vindictam provocat, ſed potius ſuppliciter tumultuaturos rogat, domum ſe modeſtè recipiant, & periculum vitent, nihil ſui ordinis hominibus relictum ſciens pro defenſione, quam preces, fugam, & humiles ſupplicationes, quemadmodum Eſther & Mardochæus, quod vi non audebant, aut ſeditionibus remorari ſaltem horrebant, ſupplicibus precibus à cervicibus Judæorum averterunt periculum. *Eſth. 3.* *Athanaſ.*

Nullus enim tam extra pietatem abjectus eſt princeps & ab omni humanitate alienus, qui ſubditos ſibi ſuos ſupplicare vetare velit, ſicut Demetrius, collectis in ſinum ſubditorum ſupplices literas projecit de ponte in fluvium, & ob hanc cauſam paulò poſt ab iiſdem deſertus eſt. Plut. *in Demet:* Natura enim ſupplicationis remedio patrocinatur, adeò, ut impedita appellatione, non intelligatur tamen impedita ſupplicatio, quia à jure naturæ profluit, & ab eo, cui jus naturæ perrūpere fas non eſt, præſcindi non poteſt. Cū Jeremias detineretur injuria à Rege, interceſſit pro eo Ebedmelech Eunuchus & exauditus fuit. *Jerem.38.* ubi, priuſquā, quæ de reſiſtentia ſupplici cepimus dicere, expediamus, notādus iterum eſt error Bruti *q.3.* qui oggannit nobis poteſtatē Synedrii ex hac Jeremiæ captivitate deductam, & ex cōdemnatione Jojakimi, ab eodem depoſiti, propter cædem Uriæ prophetæ. Utrumque verò exemplum, partim ſubdolè depravat, partim malè ad propoſitum accommodat. *Supplicare licet oppreſſis ſubditis.*

9. *De ſupplicio Ieremiæ contra Brutum.* Ex Jeremiæ ſupplicio ſic argumentatur: *Jeremias fuit à Synedrio confectus in carcerem. E. Synedrium habuit poteſtatem ſupra Regem.* Improbā conſequentia qua liceat mihi ſenatum Rom. facere Imperatoribus ſuperiorem, quia is ex juſſu & indulgentia Tiberii judicabat ſummas controverſias, coercendo ſimul & puniendo refractarios, Tacit. 1. *Ann.* idq; ex beneficio Adriani, ſive provocatione. *l. tractandum Aquib. appell. non lic. C. antenorum. 2. q. 6.* An verò propterea, judice Bruto Senatui

Digitized by Google

natui data fuit poteſtas & autoritas ſupra Imperatorem ? Falſò verò & contra veritatem hiſtoriæ affert Brutus captivitatem Jeremiæ, quando cojiciendi prophetam in carcere poteſtatem attribuit populo, excluſo Rege. Cui enim fini ſollicitabat Ebedmelech aures regias, ſi Rex auxilium ferre non poſſet: Aut cur inſtabant principes populi apud Sedechiam Regem, ut Jeremiam è medio tolleret, ſi ipſi tollendi poteſtatem habuiſſent ? Imò Sedechias evocat prophetam ex domo Jonathan, ubi carceri mancipatus erat, & invitis principibus in carcere regio detinet, quin etiam contra voluntatem & præter ſcitum eorum, inde depromit & transfert in veſtibulum. *Jer. c. 37. in fi. & c. 38.* Sed tamen ait Brutus, *Clam habuit populum liberationem & prophetiam Jeremiæ. Et timuit illorum imperium.* Annon potius ſeditionem ? Nam & Pilatus ad placitum populi Barnabam liberat, Chriſtum contemnat, ut turbas compeſcat, Darius projicit Danielem in foveam, quod nollet adverſarii principum poſtulatis, qui æquum petere videbantur, & Regem premebant propriis mandatis. Nec tamen Pilatus timebat imperium Synedrii, cum jam ſceptrum eſſet à Juda ablatum, nec Darius Magorum, quanquam & iis Perſarum imperium adjudicat Brutus, nullo veriſimili vel argumento, vel exemplo ductus, ſed quod ita factum cupiebat, & propoſito ſuo inſervire advertebat. Pergit idem ſuam aſſertionem eruere ex eo, quod Sedechias dicit: *Ecce in manibus veſtris eſt: nequeo contra vos agere, Jerem. 28.* quibus verbis tradit prophetam in manus principum populi, quia non poterat ipſorum furori reſiſtere.

An hinc ſequitur ullo modo, quod populus jure uſurparit poteſtatem in corpus Jeremiæ ? Non certè ex traditione, quia Tiberius multorum cauſas rejecit ad Senatum, eumq; ſæpius objurgavit, quod ſententiam ſuam vel ad abſolutionem vel ad condemnationem expectaret, Tacit. *2. & 3. Annal.* Caligula magiſtratibus liberam juriſdictionem & ſine ſui appellatione conceſſit, Sueton. *in Calig. cap. 16.* nec tamen quiſquam imperatorum magis tribuit de factis ſuis judicandi poteſtatem magiſtratibus, quàm Pilatus Judæis, cum Chriſtum, ſecundum leges proprias judicandum iis offerret. Nec verò ex eo, quod dicit, ſe non poſſe iis adverſari. Nam pari ſenſu Cajus ſcribit ad Petronium de Judæis: *Nequeo enim voluntati Agrippæ contradicere,* Joſeph. 18. *Antiq. c. 11.* nec tamen Agrippam, cui propter magnitudinem meritorum nefas ducebat quicquam negare, judicem ſibi, aut ſuperiorem conſtituebat. Non poterat enim Sedechias poſtulatis principum reſiſtere, metu ſeditionis, vel quod cauſam allegaſſent, cui ſatisfacere aliter non poterat, ſiquidem

revera

revera militum animos avertebat prophetia Jeremiæ. Nulla igitur populi vel Optimatum ordinaria juriſdictio vel in Jeremiam, vel in Regem hinc deduci poteſt, quia ipſe Jeremias his verbis utitur, *Jerem. 26. Ecce in manibus veſtris ſum, quicquid vobis bonum & æquum de me videtur, facite.* Nec tamen injuſtum Synedrii judicium de ſe & vaticinio ſuo ratum habet, aut propria confeſſione confirmat, quia illegitima vi, ſine cauſa, in carcere continebatur.

Nam propterea deſcendunt ex aula Regis Judices, ut judicent, inter Jeremiam injuſtè detentum, & populum injuriâ detinentem, qui, re utrinque diſputata & conſiderata, populi vota contemnant, & quem ille neci traditum cupiebat, contra voluntatem & expectationem, liberum pronuntiant. Unde patet & injuria detentem fuiſſe Jeremiam, & contra ſententiam Synedrii & populi, à regia poteſtate potuiſſe liberari, tanquam à ſuperiori, nedum ut Synedrio vel populo quicquam juris contra decretum Regis competierit.

10. De Iudicio Iojakimi.

Quod porrò affert exemplum Jojakimi, quem à Synedrio damnatam fingit propter cædem Uriæ prophetæ ex Ægypto retracti, gravius adhuc, quam in priori impingit. Nam ex facto judicat & infert de Jure. Scriptura narrat ita factum, ſed rectè an ſecus, non addit. Multa verò fiunt furore populari contra regulas, ex quibus, ineptus ſit, qui velit regulas condere, aut jam conditas corrigere & limitare. Quin potius ex iis, quæ à ſcriptura referuntur, contrarium colligitur, quod ſcilicet nihil juris fuit Synedrio in Regem, quia liberè, & ſine contradictione de plenitudine poteſtatis Uriam interfecit. Si enim jurisdictio pertinuit ad Synedrium, cur non obſtiterunt? cur non dehortati ſunt Regem? cur ſiverunt ſibi jus ſuum præripi in pernitiem innocentis ſanguinis? Nec enim excuſari potuiſſent ex ullo æquitatis articulo, cum extra judicialiter per vim procedenti magiſtratui reſiſtendi copiam faciant leges cuique privato, ſive damnum ſit reparabile, ſive non, *l. prohibitum. C. de jur fiſc. l. quemadmodum. 39. §. magiſtrat. ad l. Aquil. l. nec magiſtratibus. 32. de injur.* quia dum contra officium facit, non eſt magiſtratus, quippe à quo non injuria, ſed jus naſci debeat: *l. meminerint. 6. C. unde vi. Dyn. in c. quod quis. 24. num. 4. 5.* ibi Boer. *in addit. lit. B. de R. l. in 6.* Dec. *in l. non videntur. 227. num. 4 ff. Eod.* Et de hoc neminem dubitare aut diſſentire ſcribit Marant. *disp. art. 1. num. 14* Quod ſi etiam procedat judicialiter, & damnum videatur illaturus irreparabile, idem juris tradunt eſſe ICti. Marant. *ibid. num. 35.* In damno verò reparabili, tum demum ad reſiſtendum quemq; teneri putant, ſi evidenter conſtet de iniquitate,

Synedrium non habuit juriſdictionem in Regem.

quitate, Dd. Jaſon, *num.19.* Dec. *num.26. ad l. ut vim. de juſt. & jur.* Zoann. *in tr. defenſ. parte. 3. num. 36. & ſeqq.* Mynſinger. *Centur. 5. obſerv. 18.* Obrecht. *de defenſ. neceſ. cap. 6. num. 38.* Marant. *diſput. 1. n. 35.* Quod ſi privatus quisque obligatur, ex lege naturæ, quæ cognationem inter mortales ſtatuit, ut opem ferat contra vim magiſtratus evidenter iniquam, quantò magis peccaſſent principes Synedrii, juſtitiæ faciendæ, & injuriæ depellendæ cauſa conſtituti, ſi non tantum contra charitatem & cognitionem naturalem, ſed etiam contra officium, & quo ſe obligaverant, juramentum, innocentem ſanguinem, libidini incompetentis magiſtratus proſtituiſſent, & ne verbis quidem, quem poteſtate ordinaria debuiſſent, liberare tentaſſent.

Sed, ut clarius pateat, quam nihil Synedrio licuerit contra Regem, conſideremus hiſtoriam Jeremiæ & Baruch, *Jerem. 36.* ad quos occidendos cum miſiſſet Jojakim, nihil aliud principes, niſi conſilium dant Baruch. *Eat, abſcondat ſe à furore Regis.* Cur autem poteſtate ſua fugientem tutum non præſtant? cur agunt conſilio, cùm agere debuiſſent pro imperio? Cum Rex librum Jeremiæ deſtinaſſet igni, non intercedunt principes Judæ aliter, quàm deprecando, ne iræ tantùm indulgeat: ſed *Rex*, ait propheta, *iis non auſcultabat*, nec deprecationi locum dabat. Oſtendimus n. alibi, *in tract. de præſtant. Monarch.* errare Joachimum Stephan. *l. 1. de Jurisd. c. 7. n. 7.* quod Synedrio concedat poteſtatē in ipſos Reges de exemplo Athaliæ, à Jojada & Centurionibus dejectæ. *2. Reg. c. 11.* Nam quia Athalia incubabat alieno regno, nec id ullo juſto titulo ſibi arrogare poterat vacans Reſpubl. reciderat in manus totius populi cujus erat de ea pro bono publico diſponere, ſic de ea diſponendi cura pertinet ad legitimum Regem, quam diu ad gubernacula Reip. ſedet, idq; ita quoque obſervatum in Republ. Hebræorum notat ipſe Joachim. Steph. *d. c. 7. n. 12.* ex magiſtris Hebr. & deducitur ex *1. Paralip. 18.* notante etiam Signio *lib. 6. de Rep. Hebræ. c. 7.* Manifeſtè evincitur ex *Paralip. 19.* ubi Joſophat non tantum præſcribit leges Synedrio, ſed & Zabadiam, Regis vices tenentem, unà cum Amaria Pontifice, inſtituit. Item ex Judicio de Baruch. *Ier 36.* Nam cum præſides Synedrii audiviſſent librum Jeremiæ à Baruch lectum, non ferunt ſtatim ſententiam contra eum ex autoritate propria, ſed colligunt ſermones ejus, ad Regem, tanquam ſupremum Judicem, perferendos. Atque hinc prodit tertius Bruti error, in unico hoc exemplo, quod Synedrii ſententiam ſeparet à ſententiâ Regis, cum tamen Synedrium autoritatem ſuam haberet à Rege, *2. Paral. 19.* & quod quis per alium, quod Rex per magiſtratus

Digitized by Google

ſtratus facit, per ſeipſum facere videtur, *l. item eorum. §. ſi decuriones. Quod cujusq; univ. nom. c. ult. reſp. 1. de prabend. in 6.* id quod itidem manifeſtè indicat Jeremias, *c. 16* quando ſcribit: Judices proceſſiſſe miſſos à Rege ex aula regia, & veniſſe ad ſedandas turbas multitudinis ad novam Portam Domini.

Sed, ut redeamus, unde digreſſi ſumus, licet fas non ſit, principibus perſecutoribus armis reſiſti à ſubditis: tamen exemplo Ebedmelechi, & Eſtheris ſupplicare iis licet, quia ſupplices literæ nihil habent inordinatum, & non niſi à demente aut crudeli prorſus Tyranno reſpuuntur. Ita Jonathan ſalva pietate, quam parenti debebat, interceſſit pro innocentia Davidis. Plinius Secundus, cum provinciam Bithyniam regeret, & in ſuppliciis animadverteret Chriſtianorum cōſtantiam, nec eos ullis aliis criminibus obnoxios reperiret, non veritus eſt rem totam referre ad Trajanum Imper. & reſcriptum ab ipſo exorare. *Chriſtianos inquirendos non eſſe: Oblatos verò puniri oportere.* Euſeb. *lib. 3. c. 30.* quod taxat Tertull. *in Apol. c. 7.*

II. Supplicare fas eſt ſubditis principi opprimenti. Jonathan Plin. ſecūd.

Præfectus Edeſſanus, juſſus à Valente Chriſtianorum cætus dejicere, non tantum de imminente periculo coituram multitudinem præmonuit, ut ſibi quisque maturè conſuleret, & locum, lanienæ deſtinatum, vitaret, Ruffin. *lib. 2. c. 5.* ſed etiam cum adverteret pertinaciam ad Martyrium properantium & inter eos mulierculæ alicujus, puerum ſecum in ulnis rapientis, re infecta recipiens ſe in palatium, *Fruſtra*, ait, *Imperator hac cades perpetrabitur, ex qua infamiam nos quidē decerpemus, nec tamen promtitudinem illorum expugnabimus*, & hac interceſſione furorem Imperatoris ab innocenti populo avertit. Theod. *lib. 4 cap 17.* Cautionem tamen addit Mattheſ. modò *ſine ſcandalo*, aut *ſeditione* fiat. Ubique enim obſervandum illud Origenis *lib. 8. contr. Celſum. Quatenus ſalva pietate licet.* Nam Clandeſtinæ coitiones quibus coëundi jus non eſt, ne in civili quidem Republ. tolerantur. Judæi, cum audirent Petronium Româ à Cajo Imp mitti, ut ejus ſtatuam in templo ponat, nondum regionem ingreſſo, Ptolemaidem primùm mox etiam Tiberiadem occurrebat, ſuppliciter orantes, ne ſe ad eam neceſſitatem adigeret, neve ſacratam urbem pollueret vetitis imaginibus, cumq; is objiceret: *An igitur bellum geretis cum imperatore? Non* inquiebant, *pugnabimus, ſed moriemur citius, quam diſcedamus à legibus.* ſimulq; procumbentes nudatis jugulis, paratos ſe dicebant ad excipiendos gladios: quibus quidem pertinacibus precibus à Petronio obtinuerunt, ut ad Imperatorem pro innocentia eorum ſcriberet deprecatum &, interveniente Agrippa, cui

Præfect. Edeſſ.

Petron. Judæi.

Cajus, cum ab eo magnificè in convivio exceptus eſſet, nihil denegare receperat, abrogationem iniqui Edicti obtineret, Joſeph. 18. *Antiq.c.* 11. ſicut jam antea à Pilato eâ dem viâ impetrarant, ut ſigna cum imagine Cæſaris, quæ primus contra legis præſcriptum Hieroſolymas intulerat, Cæſaream reportaret. *Id. ibid. c.* 4. & 11.

11. *Fugere ſatius, quam reſiſtere.* Quod ſi ne ſic quidem proficiunt ſubditi, ubi ad extrema deventum eſt, & ſecundum præceptum Salomonis, *Proverb.* 24. ex morte aliter innocentiam ſuam iis eripere non licet, fuga potius licet Chriſtiano ſibi conſulat, quam vim injuſtam contra principem experiatur. Nam Petrum Deus ipſe liberavit ex carcere & compedibus, *Act.* 12. Mariam & Joſephum fugere juſſit, *Matth.* 2. Cives fideles Damaſci Paulum in ſporta dimiſerunt de muro. *Act.* 9 Abdias, aulæ Jeſabelis præfectus, Prophetas abſconditos protexit, 1. *Reg.* 18. & abundat primitivæ Eccleſiæ hiſtoria id genus exemplis, quorum magnum Catalogum affert Athanaſius *in Apol.* fugam ſuam excuſans, quod eam capeſſiverit exemplo multorum piorum & magnorum virorum, Jacobi, qui fratrem Eſau fugit, Moſis, qui à terrore Pharaonis abijt in terram Midian, *Exod.* 2. Davidis, qui à facie Saulis, ſe abdidit in ſpeluncam, 1. *Sam.* 22. Eliæ & aliorum prophetarum filiorum: 1. *Reg.* 17. 19. Ipſorum Chriſti diſcipulorum, qui à Judæis ſibi metuentes clam è medio receſsêre. *Matth.* 26. Et hoc mandatum putat diſcipulis: *Cum perſecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam, Matth.* 10. & *qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes, qui in tecto, non deſcendant aliquid tollere de domo ſua, poſtquam deſolatio poſita fuerit in loco ſancto. Matth.* 24: Probat etiam exemplo Chriſti, qui noſtrarum actionum regula eſſe debet. Is enim Judæorum, Phariſæorum, Herodis furores fugiendo ſæpe eluſit. *Matth.* 2. 12. 13. *Ioh.* 8. & 11. Socrat. *lib* .3 *hiſt. Eccl. c.* 6. Præivit igitur Chriſtus nobis viam, ut ſi nequeamus ſub Tyrannis vivere, quin vitæ periculo ſimus expoſiti, aut cogamur conſentire Idololatricæ ſuperſtitioni, fuga nos ſubtrahamus, quod poſt tranſactionem Paſſavienſem *An*: 1555. pro ſolatio conſcientiæ ſubditis in Germania datum fuit, ut ſi Domino de proprietate ſatisfecerint, liberè poſſint emigrare, & aliò ſe conferre. §. Wo aber unſern *In tranſact. Paſſ*: Mich. Beuth. *in ſupplem: hiſt, Sleid*: An verò etiam bona ſua integra transferre? quod emigrantibus concedendum putat Pett. Fred: Myndan: *libr.* 1 *de proceſſ: Cam: c.* 30 *n.* 7. & *ſeqq.* contra quem vide Springer: *de pace relig. c.* -. Maluerunt enim hoc proceres Imperii indulgere ſubditis, quam arma ijs in manus aſſerere, quibus perpetuò Rempubl. infeſtam tenerent, & ſeditionibus cædibuſque omnia turbarent.

Tractat: Paſſavienſ:

Fortaſſe

Fortaſſe non abs re fuerit, aſſertionem hanc totam, quod ſubditi, et iamſi facultatibus prædit ſint ſatis idoneis, non debeant vim inferre legitimo principi, propter mutationem religionis, iterum ex praxi primitivæ Eccleſiæ, & Sanctorum patrum exemplis teſtimoniiſque probatam facere, quemadmodum & Barclai: *in libr. contra Monarchom: & de poteſt: Pap: contra Bellarm:* abundè & verè deduxit. Poterat Ambroſius militibus & concurſu plebis ſe armare contra vim Imperatoris, quia Theodoſius Imperij in Oriente conſors, quod Orthodoxus eſſet, ad ſuppetias ferendas facilè exorari potuiſſet: Maximus, res novas in Galliis moliturus, quem pueritia Imperatoris & muliebre imperium ultrò excitaverat, Mediolanum ducebat non rogatus: Theod: *lib. 5 c. 13.* Milites populuſque opem ſuam obtulerant ſponte, ſicut innuit Ambroſius, quando ait: *Exigebatur à me, ut compeſcerem populum: Referebam, in meo jure eſſe, ut non excitarẽ, in DEI manu, ut mitigaret.* Item. *Ego Tyrannus, appellor & pluſquã Tyrannus. Nam cũ Imperatorẽ comites obſecrarent, ut in prodiret ad Eccleſiam idq; petitu militum ſe facere dicerent, reſpondit: Si vobis juſſerit Ambroſius, vinctum me tradetis.* Et tamen maluit reſpondere: *Volens nunquam vos deſeram: Coactus repugnare non novi. convenior. 23. q. 8.*

13. *Aſſertio probatur autoritate, SS. Patrum.*

Ambroſ:

Nazianzenus, qui incidit in Conſtantini, Juliani, cujus ſe condiſcipulum fuiſſe ſcribit *in 2. Invect. in Iul:* Valentis, Valentiniani, licet in duos eorum Impp: orationes ſcripſerit, *orat. 8. 18. 22. 24. 25. 27.* tamen in neutrum eorum vivum ſcripſit, ſed poſt fata utriuſque, & cum ea quidem reverentia, quam fas eſt principi exhiberi à ſubdito. Nullibi enim non memor ſubjectionis eſt, nullibi verbulum ullum vel incautè effutit, quod ad rebellionem excitandam, & avertendos ſubditos ab obedientia trahi poſſit: imò *orat. 1. in Iul.* increpat, qui inter eos, impiorum pacem iniquo animo ferentes, non expectant Dei conſilium in principibus puniendis. Et paulo poſt: *Hæc Julianus deliberabat, quemadmodum ſecretorum illius ſodales & hoſtes propalarunt. Coercitus tamen eſt Dei clementia ac lachrymis Chriſtianorum, quæ multæ jam & à multis erant effuſæ, cum ſolum hoc contra perſecutorem haberent remedium.*

Nazianz:

Modeſtius adhuc Athanaſius, *in Epiſt: ad Serap: & ſolit: vit: agent:* poſtquam parricidium, hæreſin, perjurium, & aliã Conſtantij vitia nominarat, *Nemini,* ait, *exemplar harum literarum edas tibi ipſi transſcribas. Nam hoc ipſum Monachis quoque injunxi. Sed pro tuo candore, ſi quid ſcriptis deeſt, addas, & quamprimum ad nos remittas.* Aliàs enim de Conſtantio honorificè ubique loquitur, *in orat. 1. ad Epiſc. Ægyp & Lyb: Pium, optimum Imperatorem, amicum Danielis per vim oppreſſi nominans, in Apol: ad Conſt:*

Athanaſ:

ad Conſt: cujus mandatis nunquam reſtiterit. Et tamen vel ob id ſolum Arriani, tanquam nefandum crimen ipſi objecerunt, quod populum prætextu religionis ad ſeditionem concitaſſet. Sozom: *lib. 2. c. 8.*

Patres. Arim. Quàm ſuppliciter patres Ariminenſes ex Synodo ad Conſtantium ſcripſerint, jam ſupra diximus ex Sozom: *lib 4. c.* 17. Theod. *lib 2. c.* 19. 20. *Hilarius.* Hilarius, licet pro libertate Eccleſiæ in Conſtantium duos libros ediderit: tamen *Glorioſiſſimum, Beatiſſimum Imperatorem* vocat, *cum quo locuturus ſit, cum honore regni, & fidei. In lib. contr. Aux:* nominat *Hoſius.* *Sanctum Regem*, non ratione religionis ſed imperij. Hoſius, *in Epiſt: Ath. ad ſolit: vit: agen*: Imperium ejuſdem dicit eſſe à DEO, quodque nemo ſubditorum ſibi poſſit uſurpare. Ita vixerunt ſubditi: Ita docuerunt pij Epiſcopi ſub Conſtantino, Iuliano, Valente licet non tantum ab Eccleſia Orthodoxa turpiter diſcidium feciſſent, ſed eandem quoque ferro & igne proſequerentur. Valentem enim legimus 80 Preſbyteros una navi combuſſiſſe: Socrat: *libr: 4. c.* 13. legem tuliſſe, ut Monachi militarent, Niceph: *l b.* 11. *c.* 27. Epiſcopos infinitos in exilium miſiſſe, aliaque gravia perpetraſſe, quæ enarat Petrus Alexandrinus *in Epiſt:* apud Niceph *libr* 11. *c.* 28. & ipſe Niceph. *tot. lib.* 11. Tripart. *libr.* 8 *c.* 3. *& 4.* Ruffin. *libr 2. c.* 5. Socrat: *libr 4: c.* 13. 14. 15. Nec multum aberat, quin prorſus degeneraret in Tyrannū, cū promiſcue trucidaret omnes, quorum nomina pro initiali litera habebāt Θ Socrat. *d. c.* 14. & poſt debellatum Procopium finem ſæviendi nullum faceret. Zonar: *in Val.* Tamen repreſſerunt ſe tam doctores, quam ductores populi, & vim vi, nunquam repellere aggreſſi ſunt. Imo non his demum temporibus nata eſt doctrina de ſubjectione & obedientia, ſed initium ſumſit & adolevit cum ipſa Eccleſia. *Ignat. Tertull.* Sic enim Ignat. *ad Antiochen. Cæſari ſubjecti eſtote in ijs, in quibus ſubditi nullum animæ periculum eſt.* Sic Tertull. *de Idol. c. 2. Quod attinet ad honores Regum & Imperatorum, ſatis præſcriptum habemus, in omni obſequio nos eſſe oportere ſecundum Apoſtoli præceptum, ſubditos Magiſtratibus, & principibus & poteſtatibus, ſed intra limites diſciplinæ quouſq; ab Idololatria ſeparamur Propterea enim & illud exemplum triū fratrum præcurrit, qui aliàs obſequentes erga Regem Nabuchdonoſor, honorem imaginis ejus conſtantiſſimè reſpuerunt.* *Iuſtin:* Sic Juſtin. *in orat. ad Antonin. Pium: Nos ſolum Deum adoramus, & vobis in rebus alijs læti inſervimus, Imperatores ac principes hominum eſſe profitentes & ſimul precantes, ut cum Imperiali poteſtate ſanam quoque mentem obtinere comperiamini.* Accedit ad doctrinam vita Chriſtianorum, qui ſanguine non dubitarunt patientiam ſuam potius obſignare, quam injuſtis viribus injuſtam violentiam propulſare.

Plerunque

Plerunque enim hic error ſubditis ipſis funeſtus eſſe ſolet, & in caput autorum culpa recidere, quemadmodum ex Sanſeverinorum internecione patet, qui paſſi ſibi erant illicita arma à Pontifice imperari. Tota enim familia, uſque ad ſtirpem deleta fuit. Scip Ammir. *in vit. Sanſev.* Rudolphus ipſe, ſerò errorem ſuum confeſſus, *cum jam morti proximus eſſet, dixit ad familiares ſuos: videtis manum dextram meam de vulnere ſauciam. Hac ego juravi Domino Henrico, ut non nocerem ei, nec inſidiarer gloriæ ejus. Sed juſſio Apoſtolica, Pontificumque petitio, me ad id deduxit, ut juramenti tranſgreſſor honorem mihi indebitum uſurparem. Quis igitur finis nos exceperit, videtis, quia in manu, unde juramenta violavi, mortale hoc vulnus accepi. Viderint ergo ij, qui nos ad hoc inſtigaverunt, qualiter nos duxerint, ne fortè deducti ſimus in præcipitium æternæ damnationis. Et hoc dicens cum gravi moleſtia clauſit extremum:* Helmold: *in hiſt. Sclav. c. 28. 29 30. libr. 1.* Eadem fortuna manſit Hermannum ſucceſſorem Rudolphi, & ferè ſemper ita fieri, obſervatum memorat Matheſ. *d. libell.* das wer vberſich hewe/ dem ſpringen die Scheittern vnter das Angeſichte. *Omnia autem exempla, quæ mox remota diducuntur,* ait Symmach *libr. 19. Epiſt. 54. vobis vitanda ſunt.* Abdas Perſidis Epiſcopus injecerat ignem τῷ πυρείῳ, id eſt, ſacro foco Perſarum, inconſiderato Zelo, ex quo factum, ut non tantum Perſæ à recepta & agnita religione reſilirent, ſed totos triginta annos variis procellis Eccleſiam agitarent & ſanguine fidelium totam Perſiam inundarent quod improbans Niceph. *lib. 14. c. 10.* ait: *Mihi quidem parum rectè ſacri foci everſio facta videtur, quandoquidem à D. Paulo, cum Idolis addictas Athenas veniſſet, nulla, quæ iſtic colebatur, ara deſtructa eſt. Et ille verbis mendacij amentiam arguens, veritatem pro eo induxit, & per aram adeò ipſam homines potius ad veram pietatem manu duxit.* 14. *Rebellio recidit in caput Autorum.*

Hactenus plus quam ſatis probatus fuit error, eorum, qui præcepta Pauli & Petri Apoſtolorum, obedientiam ſubditis erga Dominos imperantium interpretantur de Dominis piis, & non de impiis cum etiam Ethnicis paruerit Chriſtus cum univerſa Chriſtianorum Eccleſia: conſequens eſt, ut diſpiciamus etiam de principibus in alia vitia, quam Idololatriam, prolabentibus, utrum iis ex hac cauſa ſubditi ſe ſubtrahere poſſint, ſi ſcilicet ſcortentur, ſæviant, prævaricentur, exactionibus premant Rempubl. in funeſta bella ſubditos pertrahant ex cauſa non neceſſaria aut aliis vitiis ſe indignos imperio faciant, quemadmodum à Chilperico defecerunt, Franci ad Pipinum, quod ut ait Gregor. VII. *in Epiſt. ad Meten ſ. Epiſc.* tantæ moli eſſet impar, & Lotha- 15. *Utrum aliis præter Idololatriã vitiis, inquinatis principibus obediendũ.*

Digitized by Google

tio Imper. minitatus eſt Pontifex defectionem ſubditorum, quod deſerta legitima conjuge, in Waldradæ contubernio ſe volutaret. Richardum quoque II. & Henricum VI. deſtituerunt Angli, quod ignominioſam pacem feciſſent cum Gallis, ſeu quod ſub iis fortuna titubaſſet belli, qua ex cauſa olim Burgundiones ſuos ejurare ſolebant Reges. Statim autem de his poteſt judicium ferri, ex iis, quæ huc uſque diſputavimus. Nam ſi, *ut argumentatur* Brut. *q.* 1. propterea dejicitur princeps à gubernaculis, quia committit feloniam erga Deum, quam poterit committere turpiorem feloniam, quam ſi fidem & religionem, qua Deo ſoli obſtrictus eſt, frangat & cultus extraneos, in opprobriũ divini nominis obducat. Si verò ex hac cauſa, licet regno ceciderit princeps, nullum jus ſubditis in eum annaſcitur, multò minus acquirent imperium ex cauſa multò minori, quia gravius peccatur in Deum, quam in privatum aliquem ex ſubditis, in quos jus & imperium habet princeps. Nam & ipſe Ariſt. 5. *Eth.c.* 1. minus injurium eſſe magiſtratum docet, ſi verberet ſubditum, quam ſubditum, ſi percutiat pari modo magiſtratum. David certè graviſſimè peccabat, cum Uriæ legitimam uxorem ſurriperet, cum ea adulterium committeret, & præter hæc omnia, ignarum fraudis & injuriæ Uriam perfidè Ioabo mactandum mitteret. Quod ſi tum ſummi ſacerdotis loco ſediſſet aliquis Gregorius aut Innocentius, aut Alexander, ſine controverſia non tantum à communione Sanctorum, ſed & hominum abeundum fuiſſet Regi. Verum Nathan, à Deo peculiari cum mandato miſſus, non pœnam aliquam temporalem ſubditis exequendam denuntiat ſuperbienti in peccato Regi, nec ſubditos abſolvit à juramento, aut inſtigat contra legitimam poteſtatem, ſed pœnam Deus ſibi reſervat, adulterium adulterio puniturus, & cædem cæde, quo tempore ſibi viſum fuerit oportunum.

Exemplum Davidis explicatur.

Nullum verò ad hanc rem manifeſtius adduci poteſt exemplum, quam ipſius Davidis, qui infideli Sauli fideliter obediit, & licet potuiſſet, Sanctum Domini tamen vel immodeſtè tangere formidavit. Poſtquam enim Saul ſemel pietatis limites tranſilierat, & à Dei præſcripto deſciverat *multa*, ut ait Cyprian. *lib.* 3. *Ep.* 11. *Tyrannicè deliquit*, imò, ſi Bucher. *ipſe lib* 1. *c.* 3. *lib* 3. *c.* 18. Hœnon. *diſp.* 9. *Polit. num.* 34. *audiendus eſt*, prorſus degeneravit in Tyrannum, adeò, ut ſint qui quod in vulgata legitur, 1. *Sam.* 13. *Saul duos annos regnaſſe*, ſic interpretantur, quaſi Saul biennium tantùm præfuerit, ut Rex, reliquum temporis exegerit, ut Tyrannus, tranſlato imperio in Davidem. Nihilominus eum licet degenerem, & multis facinoribus nobilitatũ, Regis honorifico & Sancto titulo

Digitized by Google

titulo Regem appellat Apoſtolus, *Act.13* quando eum 40. annos regnaſſe ait: Thecuitis *angelum & legatum Dei* vocat, *2. Sam. 14.* David ubique Regem, Item Chriſtum ſive unctum Domini, *1. Sam. 24. & 31.* ita ut vel hinc appareat error Bart. *in tr. de Tyr.* qui Saulem poſt denuntiationem Samuelis, Tyrannum evaſiſſe cenſet, nec regii juris privilegiis amplius uti potuiſſe, ut ſcribit Bucher. *libr. 1. cap. 6.* Erat quidem Davidi regnum deſtinatum, *1. Sam. 16. 2. Sam. 5. in princ.* & cum unctione adjudicatũ, ideo- *1. Sam. 16.* que potuiſſet meliori prætextu arma ſumere cõtra Saulem, ut reſpondet A ber. Gent. *de vi in princ. ſemp. ir juſt.* cum inſtructus eſſet mandato divino, & jam ex ordine ſubditorum exemtus. Sed David noluit ea licentia ante tempus cum injuria & ſacrilegio abuti. Sciebat enim, *ſe ſic per Samuelem unctum fuiſſe, ut Saul, dicente Optato Afro libr. 2. adverſ. Parmen. quod jamdudum datum fuerat, minime tolleretur.* Nec ipſe Samuel licet de mandato Dei reprobaſſet Saulem, ab obedientia ejus propterea ſe retrahit, ſed pergit cum eo aſcendere ad adorandum Deum, cultuque non minori proſequitur, ut prius, *1. Sam. 15.* ne quâ ſuſpitionem ſiniſtrã ſubditis de Regis indignitate injiciat, quæ feneſtrã ad defectionem aperire poſſit. Quin etiam divinitus ſæpe datus videbatur Saul in manu Davidis: qui tamen occaſione præpoſtera ſibi non utendum putavit iñ eum, quem ſuo Examini Deum reſervaſſe ſciebat, niſi ab ipſo prius percuſſus eſſet, ut dicitur, *1. Samuel. 24.* de quo Ambroſ. *libr. 3. officior: cap. 9. Quam etiam honeſtum, quod David, cum potuiſſet regi inimico nocere, maluit parcere. Quam etiam utile, quia ſucceſſori hoc profuit, ut diſcerent omnes fidem Regi proprio ſervare, nec uſurpare imperium, ſed vereri.*

Incidimus in exemplum Davidis, quod quidem ab hac theſi amovent, quia, quicquid hujus fecit David, ex complemento perfectionis feciſſe dicitur, non ex debito neceſſarij officij. Bucher: *libr. 3. c. 18.* Nam cum lex æſtimetur ex ratione, & rationem facti ſui habuerit talem David, quæ non minus ipſum, quam omnes homines ex æquo obliget, obligatione hac ſe prius exolviſſe dicendus eſt, quam perfectionis ſpecimen edidiſſe. Ubique enim negat Unctum Domini tangere, niſi eum 16. ipſe percuſſerit, ſacrilegij inſtar habens ſi quis manum mittat, in eum, *David non* quem Dominus ſuo oleo in ſede regia firmet & detineat de providen- *fecit opus* tiæ ſuæ inperſcrutabili conſilio. Quicunque enim contra ſuperioris *perfectionis, ſed debiti.* placita machinatur, reus eſt majeſtatis, quam ſpernit, quod ſi contra DEI quoque voluntatem, ſimul ſacrilegus. Id quod & latè & dilucidè exponit Optatus *libr. 2. adverſ. Parmen:* inquiens, *Occaſionem victoria David habebat in manibus, incautum & ſecurum adverſarium ſine labore,*

poterat

Digitized by Google

poterat jugulare,& ſine ſanguine & afflictu multorum poterat bellum mutare in cædem. Et pueri ejus & occaſio ſuadebant: Ad victoriam opportunitas hortabatur. Stringere jam cœperat ferrum, ire jam cœperat armata manus hoſtiles in jugulos. Sed obſtabat plena divinorum memoria mandatorum: hortantibus ſe pueris & occaſionibus contradicit, tanquam & hoc diceret: Sine cauſa me victoria provocas: fruſtra me victoria, in triumphos invitas. Volebam hoſtem vincere, ſed prius eſt divina præcepta ſervare. Non inquit, *mittam manum meam in unctum* DEI. *Repreſſit cum gladio manum, & dum timuit oleum, ſervavit inimicum, & cum compleret obſervantiam, vindicavit occiſum.* Eandem cauſam explicat Beda *lib. 4. Expoſ. in Sam: Duas maximè ob cauſas David manum ab occidendo Saulem quamvis ſe iniquiſſimè perſequentem, continuiſſe declaratur, quia vidit eum & Dominum ſuum & regali meminit chryſmate perunctum: ubi primò regnum vel ungentum, quod & ipſum Dominici, ſemper vidit inviolabilis regni ac Spiritualis ungenti noverat prætendere figuram, digno veneratur honore. Deinde etiam nos moralibus inſtituit diſciplinis, ne præpoſitos nobis: eos maximè, qui ſacris ordinibus inſigniti ſunt, quamvis in nos injuſtè perſequentes, verbi auſterioris enſe fœdare, & vel ultima ſuperflua actionis eorum, quaſi fimbriam vituperando decerpere præſumamus.* Ac ne patrum potius explicationes, quam ipſius Davidis & ſcripturæ verba afferamus, audiamus Davidem, injuſtum comitis ſui conatũ, qui Saulem proprio transfigere volebat enſe, ne poſthac negotium cuiquam faceſſeret, univerſali hoc præcepto reprimentem: *Quis extendet manum ſuam in Chriſtum Domini, & erit innocens. 1. Sam. 26.* Ex quo Concilium Toletanum *can. 74.* monſtri ſimile arbitratur, *quod cum Dominus dicat: Nolite tangere Chriſtos meos, & David: Quis extendet manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit? exiſtant tamen quidam, quibus nec vitare metus ſit perjurium, nec Regibus inferre exitium.* Quod autem omnes homines ex mandato divino facere oportebat, ut abſtinerent manum à Rege, aliàs, quacunque de cauſa eam extenderint, rei futuri coram Regum patrono & Autore, quî poterit ad perfectionem ſolius Davidis trahi? quod pœnam à tergo comitem habet, ex mandato proficiſcitur, & non ex libera voluntate. Verbis a. ſuis reipſa fidẽ fecit David, cum Amalecitam mortis reũ ſtatim pronuntiaſſet, quod manũ intuliſſe uncto Domini, *2. Sam. ult. & 1. Reg. c. 1.* quemadmodum & eo conſilio tam ſeverũ ſe præſtitit Beſſo, qui Dario ultimum propinarat, Alexander M. *Curt. lib. 6.* quia *non eſt audiendus perire volens. l. non tantũ 6. de Apell:* & ſubditis quacunq; fortuna Sancta debent eſſe corpora Regum quemadmodũ tam Venerabiles habiti fuerunt Reges Lacedæmoniorũ, ut ti-

ut timorem ſæpè ipſis hoſtibus, quantumvis mortui, incuſſerint, nec proſtratorum cadavera colligere auſi fuerint, quæ ſine religione à civibus tangi non poſſe didicerant. Plutarch. *in Agid. in fin.*

Nihil igitur fecit David, quod non cuivis ex ſubditis imitandum incumbat, quia omnibus ex æquo religio eſt, ſacrilega manu Chriſtum Domini tangere: Imò vel in eo arguitur David pii ſubditi officium prætergreſſus, quod fimbriam veſtimenti Saulis præſciderit, cum *cor ſuum* propterea *percuſſiſſe* dicatur, 1. *Sam.* 24. ſive, ut explicat Lyra, à conſcientia accuſatus fuerit, quod feciſſet irreverentiam Sauli, qui honorandus erat, quam diu tolerabatur in regno à Deo. Et Rabbi Salomon, *Eum in ſimili punitum fuiſſe* putat, *cum veſtibus & ſtragulis, quibus nudarat Regem ſuum, calefieri nequiret.* Lyra *lib.* 1. *Reg. c.* 1. Conſtat igitur ex dictis, injuſta eſſe arma, & iram divinam ſummopere in ſe concitare, quæcunq; à ſubditis inferantur legitimis principibus, ſive ob errorem in religione, ſive quod aliis ſint lediti vitiis levioribus, quemadmodum ex hoc Saulis, Davidis aulteri & homicidæ, Salomonis Apoſtatæ, Achabi Tyranni & Idolatræ, exemplo probat Auguſtinus *c. ſacerdos* 3 *q.* 7. ubi & illud adducit *Matth.* 23. *Super cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Pharaſæi* &c. Nã licet malè viverent, & Chriſtus diſcipulos dehortaretur, ne factis ipſorum inſiſterent, tamen, *quodcunq;*, ait, *vos juſſerint, facite*, nec obedientiã bonis juſſis propter mala facta ſubtrahite. Nihil enim vetat aliquem malè vivere, & bene præcipere, quemadmodum de Cambyſe, Juliano &c. patet. Synodus Conſtant. *Seſſ.* 15. Si & hanc audire fas ſit, damnat articulum hunc: *Quod quilibet Tyrannus poteſt & debet licitè & meritoriè occidi, per quemcunq; vaſallum ſuum & ſubditum: Etiam per clanculares inſidias & ſubtiles blanditias & adulationes, non obſtante quocunque præſtito juramento & fœderatione, factis cum eo, non expectata ſententia, vel mandato judicis cujuscunq;.* Id quod intelligit Gerſon. *in tract. de Errorib. circa præceptum, Non occides*, quando ait: *In concilio Conſtant. damnatam aſſertionem, quod detur qualibet lege cuilibet ſubjecto licentia Tyrannum occidendi, quodq; peccet mortaliter quilibet ſubjectus, habens oportunitatem occidendi, ſi non occiderit Tyrannum, etiam per cautelas, inſidias, aut turpiter.* Accedunt huic ſententiæ Theologi, & politici, imprimis M. Britanniæ M. Rex *in Præf. Apolog. ſecund. edit. paulò antè fin. & pag.* 20. *Maledictus. qui maledicit uncto Domini, pereatq; interitu Core. qui peccavit in contradictione Core.* Luther: *in lib. de offic. magiſtr. tom.* 2 *Jen.* Brent. *hom.* 27. *in c.* 8. *lib.* 1. *Sam.* Philipp. Melancht. & Buce. *in libell. adverſ. Pſeudonicod.* Pfeffing. in Troſtbüchlein/ *Ann.* 1551. 1559. Mattheſ. *in libell.* Wie ſich ein Chriſt in

17. *Autores noſtra aſſertionis.*

Verfolgſing. *&c.* Beza *in annot. ad. c. 13. Rom.* Franc. Junius *de tranſl. Imp. lib. 1. c. 2.* qui ait: *Omnes injurias à magiſtratu potius ferunt boni, quam atrociſſimas, quam ut in eum invehant ſermone, ſcripto, opere, ad ordinis & pacis publicæ perturbationem.* Eraſm. *in paraphr. 1. Petr. 2.* Cuner. Epiſc. Leovvard. *in lib. de off. princ. Chriſt. c. 17.* Winzet. Abbas S. Jacobi Ratisbon. *in velit. adverſ. Buchan.* Carturitus *in illud Eccleſ. 8. Ubicunq; Verbum regis eſt, ibi Dominatio. Ecquis, dicet ei, quid facis?* Nua *diſ. 10.* Lipſ. *6. polit. c. 5.* Tholoſ. *de Republ. lib. 26. c. 5. n. 25. c. ult. n. 8. 9.* Barclai. *libris 4. contra Monarchomachos.* Adam Blacvod. *in Apol. pro Regib. & lib. 2. de conjunct. relig. & imp.* Widrington. *Apol. Bellarmin. num: 412.* Alexand. Carter *de pot. pont. 2 c. 3.* Un livret Franzois *encloué es memoires de la ligue. lib. 3.* Alberi. Gentil. *in diſput. de poteſt. princip. abſol.* Bartol. *in Extrav. Qui ſint rebell.* Caſtald. *de imp. q. 82.* Corſet. *de pot. reg. p. 1. q. 3.*

18. *Solutio Buchanani redarguitur.* Abirem jam ab hoc capite, quo poteſtatem ſacroſanctam principũ in ſubditos ex ſacris literis deducere propoſitum mihi fuit, niſi ſupereſſet adhuc præoccupandum aliud effugium Buchan: *in dial. de jur. regn. Scot.* qui diſtinguit inter poteſtatem ſeu ſanctionem & perſonam *cum Theophylacto.* Dicit enim Apoſtolum *Rom. 13* loqui de poteſtate in abſtracto, cui vult, ut ſubjecti ſint omnes Chriſtiani, ſed in ea negat includi perſonas Regum & principum, quò minus in eas impetus fieri poſſit ſalva poteſtate, quæ ab iis avelli, & novis tradi poteſt ſucceſſoribus. Quod ſi rectè dictum eſt, & Paulus non loquitur, niſi de poteſtate, excluſis regum perſonis, nec perſonæ debent tutæ eſſe per poteſtatẽ, quam gerunt, inconſideratè tranſtulit Petrus, ad regum & magiſtratuum perſonas quod hîc fingitur Paulus concepiſſe de poteſtate abſtracta. *Regi enim, quaſi præcellenti, & magiſtratibus, quaſi ab eo miſſis,* jubet nos ſubjectos eſſe & paulò poſt: *Deum* inquit, *timete, Regem honorificate. 1. Per. 2.* Imò nec David rectè interpretatur præceptum Domini de honorãdis magiſtratibus, quando à perſona Saulis manum cohibet propter oleum, & *1. Sam. 26.* ait: *Quis extendet manum contra Chriſtum Domini, & erit innocens?* Non autem poteſtas ungitur, ſed perſona, quæ poteſtatem gerit, ideoque non tantum poteſtas, ſed & perſona propter unctionem tuta eſt. Paulum verò non loqui de poteſtate abſtracta, ex circumlocutionibus manifeſtum eſt, quando gladii geſtationem poteſtati attribuit, & eidem tributa exhiberi jubet. Non enim poteſtas abſtracta, ſed perſona magiſtratus gladium gerit, & tributum recipit. Non poteſtas, ſed princeps ipſe miniſter Dei eſt, & vindex in iram, quibus verbis iisdem utitur Apoſtolus in deſcribendo ſuperiori, cui nos vult obedientiam præſtare.

Nec

Digitized by Google

Nec refert, quod poteſtatis abſtracto vocabulo utatur, quia Romani, ad quorum phraſes veriſimile eſt, quod ſe voluerit Apoſtolus accommodare, ipſam abſtractam vocem accipiunt pro concreto, ut notat Barclai. *lib. 2. c. 10. ex Plin. lib. 29. c. 4.* Sueton. *in Claud. c. 23.* Tertull. *ad verſ. gent. l. 27. de pignor. l. 17 §. pen. de AEdil. edict.* Quin etiam per hunc angiportum non effugit Buchan. quin in eandem incidat foveam, quam nititur circumire. Nam ſi ipſa poteſtas in abſtracto ſumta exorbitet, & nimium ſibi ſumat, utpote, ſi Monarchia regia cadat in dominatum, & utatur licentia, quam propoſuit Samuel, 1. *Sam. 8.* quid tum reſponſurus eſt Buchananus? eritne nimiæ poteſtati obediendum? aut, ſi accidat, ut dicente Auguſtino *Ep. 48. Poteſtas* ſit aliquando *inimica veritati*, an ſine diſcrimine imperio poteſtatis obligabit Buchananus conſcientias ſubditorum? Certè ſi omni poteſtati abſtractæ obediendum eſſe cenſet propter præceptum Apoſtoli, etiam nimiæ obediendum erit, quia Apoſtolus non diſtinguit, & ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. *l. pretio ibi gl.* Bart. *de publ. in rem act.*

Nititur verò Buchan. ex ſolutione objectionum, quas propoſuerat Apoſtolus, *Rom. 13.* argumentum trahere, quod eo loci non loquatur de poteſtate, niſi juſta, & ex Dei præſcripto vindictam exercente. Dicit enim poteſtates conſtitutas in timorem, non bonis, ſed malis, & addit: *Propterea, ſi non vultis timere poteſtatem, operamini, quod bonum eſt, & laudem inde reportabitis.* Sed licet deſcripſiſſet Paulus tantum bonos magiſtratus, & eos ſimul de officio admonuiſſet: tamen inde non ſequitur, malos & ab officio degeneres, non eſſe magiſtratus. Nam & prætor non debet, niſi ex præſcripto juſtitiæ jus dicere, & tamen etiam iniquè dicẽdo jus facit, relatione ſcilicet facta ad id, quod eum facere oportuit. *l. pen. de juſt. & jur.* eò quod publicè intereſt, ut ait Martian. *l. ſerv. 56. §. cũ prætor. ad SC. Trebel.* Sic quoq; magiſtratus obligatus eſt mandato divino, ut juſtitiam ſubditis diſpenſet, bonis in laudem, malis in terrorem: Sed ſi id facere negligat non propterea deſinit autoritate publica defungi, aut poteſtatem legitimam perdit cui omnes mortales cõvenit obedire propter Deum. Tum verò, inquit Buchan. vanam conſolationẽ ſuggeſſit Apoſtolus morigeris ſubditis, quos dixit reportaturos laudem à magiſtratu ſuæ obedientiæ. Non reportabunt autem à malis principibus, qui poſiti magis videntur in terrorem bonis, quam malis. Imò reportabunt etiam laudem, ſi malis principibus fideliter morem geſſerint ea ratione, qua explicat Auguſti. *Ep. 48. Sive*, inquit *poteſtas veritati favens, aliquem corrigat, laudem habet, ex illa, qui fuerit emendatus: ſive inimica veritati in*

19. *Non loqui Apoſtolũ de ſola poteſtate bona.*

aliquem ſæviat, laudem habet ex illa, qui fuerit coronatus. Latius Haymo Epiſc. Halberſt. *in c. 13. Rom. Non dicit,* ait, *laudabit te poteſtas quia multa poteſtates ſunt, quæ in ſubditis magis malum quam bonum diligunt, ſed habebis laudem ex illa poteſtate, id eſt, ipſa poteſtas erit occaſio, ut laude dignus ſis. Quia, ſi tuo exemplo ad fidem vel juſtitiæ opera fuerit perducta, laudaberis tam ab illa, quam etiam ab aliis & apud Deum quoq; laude dignus eris. Aliter, ſi poteſtas illa uſq; ad mortem pœnis te afflixerit, tu quoq; legitimè decertando mortem, aut aliquam injuriam patienter pertuleris, habebis ex illa poteſtate laudem, id eſt, illa præbebit occaſionem, ut tu lauderis, quia percipis pro perſecutionibus tibi irrogatis perpetuam beatitudinem & laudaberis apud Deum & hominem.* Et ſecundum hanc interpretationem non modò à bono, ſed & malo principe laudem reportant fideles ſubditi: nec timet, qui rectè facit, etiam malum principem quia timor arguit degeneres animos & naſcitur ex conſcientia peccatorum, ut ait *Cic. in parad.* Scitum autem eſt illud, quod proverbii loco uſurpavit Henricus Julius Dux Brunſvvic. & Lunæburg. *Rectè faciendo neminem timeas.*

CAPUT III.

Deducitur ex lege naturæ & principiis Politicis, ſubditos non poſſe imperium uſurpare in principes abſolutos.

SUMMARIA.

1. *Rebellio ſubditorum invertit ordinem naturæ.*
2. *Princeps debet tutus eſſe à vi ſubditorũ, ut pater, & ut caput magiſtratuum, quos alias gentium conſenſus tutos facit.*
3. *Cædes principis gravior parricidio.*
4. *Utrum ſubveniendum ſit patriæ contra principem.*
5. *Princeps non tantum eſt tutor & adminiſtrator Reſpubl. qui abigi poſſit, propter ſuſpectam tutelam, aut malam adminiſtrationem, ſed etiam quodãmodo poſſeſſor.*
6. *Princeps nequit judicari à ſubditis, ut nec patronus a Clientibus.*
7. *Utrum ſubditis fugere liceat aditione regum ſævientium, ut ſervi ad ſtatuas, auſterê imperii vitandi gratia.*
8. *Diluuntur argumenta petita à Vaſallis & Monachis, reſpectu Dominorum ſuorum aut Abbatum.*
9. *A minoribus magiſtratibus non eſt inferendum ad ſummum principem.*
10. *Utrum ſeditiones contra malum principem juſtæ ſint & in Republ. vel præcipiendæ vel tolerandæ.*

1\. *Ordo naturæ non patitur, ut ſubditi imperent principi.*

QUod hactenus ex ſacris literis diſputavimus, Injuſtam & impiam eſſe omnẽ vim, quæ à ſubditis infertur principi, idem nunc ex rationibus politicis & ordine ſeu lege Naturæ, probare pergimus. *Eſt* enim

gente-

Digitized by Google

generale pactum ſocietatis humanæ, obedire Regibus ſuis, c.2. diſt.8. ſeu ut explicat gl. *ibid.* generali lege à natura imperata eſt ſubditis obedientia, quia ordo naturæ non patitur, ut inferior dominetur ſuperiori, minor majori, Servus Domino, *c. cum inferior. de major. & obed. c. inferior diſt. 21.* cum nec par in parem habeat imperium, *c. innot. de Elect. l. nam magiſtratus. de arbitr.* ex quo rectè infert Lupold. *de jur. Imp. c.* 17. non potuiſſe Francos deſtituere Childericum regem, multò minus pro imperio deponere quia ſubditorum eſt obedire, & principum imperare, ut dicebat Imp. Valentinianus ad milites, cujus verba ſupra retulimus.

Princeps, quia pater Reipub. nequit à ſubditis ejurari.

Quin etiam princeps eſt inſtar patris in Republ. ut docet Homer. *Odyſſ. 1.* & Ariſt. *8. Ethic. c. 10 1. polit. c. 8. 3. polit. c. 11.* & ſi ſucceſſione annaſcitur Reip. non minus ipſi ſubditi, quam liberi parentibus naturaliter obligantur, quia à natura conſtitutus fuit communis omniũ pater. Si verò ex votis & ſuffragiis populi fuerit obductus, licet principiũ imperii non habeat acceptũ referre naturæ, tamen perinde obligatos ſibi retinet ſubditos, ac ſi à natura datus fuiſſet, quia ſurrogatum fruitur privilegiis ejus cui ſurrogatur, & qui ſuccedit in locũ, ſuccedit in jus, quemadmodum filius adoptatus locum filii Naturalis ſubit, & legitimatio perfecta legitimato tribuit omnia jura, quib. gaudent legitimi. Electus autem princeps & in plenam quaſi poſſeſſionem Majeſtatis immiſſus, ſubit locũ principis naturalis, ideoq; ut eodem loco, ita & jure cenſetur, niſi quid in conventione ſit, exceptum. Modus enim acquirendi non tollit naturale jus poſſidendi, quemadmodum alibi demonſtravimus quocunq; modo res acquiſita ſit poſſeſſionem eſſe de jure gentium, ſeu ut Ariſtot. loquitur & accipit *5. Eth.* de jure naturali, Pinell *part. 1. rub. fin. c. 2. n.* 426. *C. de reſ. ind. vendit.* Zaſ. *ad l. princ n. 17. de LL. & ad l. cũ hered. n. 13. acq. poſſ.* Cravet. *de antiq. temp. part. 1. c. 1. n.* 3. ex quo ſequitur, non minus turbare naturæ legem, qui Electum regem opprimit, quam qui ſuccedentem, quia uterque ex naturæ jure imperium obtinet in ſubditos, utriq; ex jure naturæ ſubditi debent obedientiam, adeò ut vel magiſtratus à ſui inferiorũ tuti ſint, quamdiu magiſtratum gerant. Dictatorem enim, ante depoſitum magiſtratum, in jus vocare fas non erat, ſicut Papyrius obtinebat contra provocationem Fabii, Liv. *lib.* 6. & Mamertino non prius dicta fuit dies, quam Dictatura abiiſſet. Liv. *lib.* Prætorem edictum non ligat, quamdiu magiſtratum gerit, *l. in jus vocar. 2. de in jus voc.* multò minus principem, cujus poteſtas perpetua eſt. & *Quis eſt tantæ autoritatis*, ait Juſtinianus *ut nolentem principem poſſit coarctare. Nov. 23. c. anteriorum. 2. q. 6.* Quin etiam magiſtratuum quorundam corpora ſacroſancta habebantur,

Magiſtratus quãdiu in dignitate eſt, non cõvenitur.

Sacroſancti eſt.

bantur, ut religionis metu ab injuſta ſubditorum vi redderentur ſecuriora, ſicut de Regibus Lacedæm. tradit Plutarch. *in Agid.* & de Tribunis Romanorum conſtat apud omnes, quibus hac lege de ſecuritate proſpiciebatur: *Tribunum nemo invitum, ut unum è vulgo, quicquam facere cogito, nec verberato, nec alium verberare jubeto, nec occidito, nec occidere jubeto. Si quis contra fecerit, ſacer eſto*, Liv. *lib.* 2. Halycar. *lib.* 6. Cic. 3 *de ll.* Forſter. *lib.* 1. *Jur. Civ. Rom. c.* 21. *n.* 2 id eſt, interprete Livio *lib.* 3. *Ejus caput Jovi ſacrum eſto, familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberaq; venum ito.* Nec id de ſolis tribunis cautum erat, ſed & de Ædilibus, Judicibus, Decemviris, teſte Liv. *lib* 3. *Militem, qui Centurioni caſtigare ſe volenti reſtiterit, veteres notaverunt. Si vitem tenuit, militiam mutat ſi ex induſtria fregit, vel manum Centurioni intulit, capite punitur. l. milites.* 13 §. 4 *de re milit.* An igitur Imperatore militiæ, cui miles non niſi ex pacto ad tempus pro ſacramenti ratione obnoxius eſt: An tribuno plebis, quem ne inter magiſtratus quidem reponit Plutarch *in probl. Rom.* auxilii tantum ferendi cauſa côſtitutum, Gell. 13. *c.* 13. deterior erit princeps? quem inſtar parentis Reipubl. præfecit natura. Equidem, dicente Origene *Homil*: 10. *in Levit: patri vel matri nullo modo contradicere debemus, dicant, faciant, quæ volunt,* & *Saluſtio in Jug. Vi regere Patriam, aut parentes, quanquam & poſſis & delicta corrigas, importunum eſt*, & Juſtinus *lib* 16. ad parricidium excuſandum *nullam ſatis juſtam cauſam* reperiri poſſe dicit. Igitur nec parricidium Regium. niſi ſacrilega manu, & inexcuſabili ſcelere, à quoquam commiti poteſt, ſicut Johannes Major, *lib.* 4. *de geſt. Scot. c.* 2. cum narraſſet Johannem Regem Anglorum veneno extinctum fuiſſe à Monacho, quod & Caxton refert, ac neſcio, ſi quis alius, adjicit hæc de ſuo: *Regem propria autoritate interficere huic monacho grande nefas erat. Licet enim Regibus malis vitam in mortem commutari Reipubl. expediat: nullo tamen pacto viro autoritate privata, & ſignanter Monacho eos occidere licet*: quod velim mihi notent noſtri Catholici, qui ſui gregis homines ſoliti fuerunt ſubornare in Reges, quæ provincia olim dabatur Judæis Medicis. Et miror, quid Barclajo in mentem venerit *lib* 3. *c. ult. de jur. regn.* quando pium & animoſum factum vocat, quo Hiſpani ſuſtulerunt principem Auraniæ ſubornato in ejus jugulum audaci juvene. Si enim privato homini id licet in principem, fruſtrà cadunt omnia. quæ tam ſollicitè is ubique diſputavit contra parricidas principum, ſeparato negotio religionis à regimine politico.

Ergò multò magis Imperator aut Rex

3\. *Parricidiũ principis quantum ſit ſcelus.*

Parricidium privatum, ſunt, qui ea ratione exaggerent, quod non ſola perſona patris, ſed & fratres & ſorores una cæde trucidentur, quod licet

licet ſeriò examinatum ſubſiſtere nequeat, eò quod eorum qui nondum vivunt, homicidium ſecundum ſacras literas non fiat cum alias nullum ſimplex homicidium perpetrari poſſet: tamen rectè præſupponit, eò gravius eſſe ſcelus, quò plures una injuria comprehendat. Jam verò, quò princeps parēs eſt communior, & ejus pernities plurium interitum ſecum trahit, eò ſceleratius in ipſum peccatur, quam in parentem privatum. Hujus enim cædes in familiæ fortaſſe unius aut ſtirpis perniciem redundat: illius in univerſam Rempubl nec unquam caput in corpore, quantumvis morbidum, quatitur, quin unà corruat tota compages corporis. Præſtat habere caput ægrotum, quam nullum. Sub illo licet vacillet corpus: ſub hoc tamen prorſus concidit. Ægrotum dico quia ſi prorſus gangræna inſideatur, tanquam membrum putidum, & quod capitis munia obire non poſſit, nec caput dici amplius mereatur, præſcindēdum eſt, priuſquam inficiat reliquū corpus & ſecum in perniciem abducat: Qui verò ita ſe gerit princeps, officii ſui prorſus oblitus, is deſinit Rex eſſe, & mutato nomine Tyrannus vocatur, de quo poſt ſumus acturi. Crimine autem aliquo alio infectus princeps, quia non deſinit præeſſe Reip. non magis ex crimine amittit Majeſtatem ſuam, quam judex Eccleſiaſticus juriſdictionem, *§. ult. c. 3. q. 7.* uti probare intēdit Gratian. propter crimen quo quis ſit infectus, non amitti juriſdictionem Eccleſiaſticam, ut notat Innocent. *c. cum ſuper de off. deleg. reſpondens ad c. cum ſuu 3. q. 7.* Imò idem *ibid.* & Hoſtienſ. *in c. ſub literis. de reſcrip.* tenet, quod etiam Judex delegatus procedere poſſit non obſtante criminis exceptione, quod in magiſtratu quoque politico notavit Barclai. *lib. 1. de jur regn.* Juſtinianus etiam impium parentem, vocat parentem, *§. ſi verò in fi. Nov. 13.* & Jacob etiam impium fratrem & in ſuum caput juratum fraterno amore & honore aſſicit, *Gen. 35. 25. Rom 9.* Ita quoque degener princeps loco parentis manet, & ſuis ſubditis perpetuò ſacroſanctus eſſe debet, quippe, cum ipſi etiam plus, quam parenti debeti ſcripſerit Bart. *in Extrav. ad reprim.* & Alciat. *ad l. 1. C. de in jus voc.* dicat: Jure naturali non minus dandum magiſtratui, quam patri unde infert Alber Gent. *diſp. 3. de vi in princ. ſemp. injuſt.* quod, licet patri, amore patriæ, filius licitè poſſit inferre manus, *l. minime de religio. & ſumt. fun. l. poſtliminium § filius de captiv. & poſtlim. rever. arg. § fin. hic fin. lex,* tamen in principem id non liceat. Et certè cum principem eodem favore proſequi debeamus quo patriam, ut apparet in crimine læſæ Majeſtatis, quod tam committitur in perſonam principis quam in Rempubl. Hottom & Briſſ. *verb. perduell.* quia princeps eſt caput patriæ, & hujus ſalus depen-

Crimen in judice non extinguit officium.

dependet à ſalute illius: ſicut contra patriam nemo unquam poteſt conſpirationis cauſam habere probabilem, ita nec contra principem. Platonis ſententiam ait Cic. ſibi vehementer probari, *qui hanc cauſam ſibi fuiſſe dixerit Reſpubl. non attingendæ, quod cum offendiſſet populum Athenienſem propè jam deſipientem ſenectute, eum nec perſuadendo, nec cogendo regi poſſe vidiſſet, cum perſuaderi poſſe diffideret, cogi fas non eſſe arbitraretur.* Cic. 1. *famil. Epiſt.* 9.

4. *Objectio quædam diluitur.* Nec quicquam valet diſcrimen, quo rationem hanc, à parentis reverentia deductam, quidam adverſariorum eludere laborant, quando ex ſententia Cretum, qui patriam μητρίδα vocabant, patriam matri aſſimilant, & inde inferunt laboranti matri ſuccurrendum eſſe contra injurias patris. Nam ita favendum eſt alterutri parentum, ne favoré unius torqueamus in odiũ & injuriam alterius, & ſemper præmittendũ illud Origenis: *lib 8. contr. Celſ. Quantùm ſalva pietate licet.* Euripidem enim laudat Clemens Alexandr. *in paranet.* quod Apollinem inſectetur qui juſſerat matrem interfici ab Oreſte, quia licet ipſa mortem promerita fuiſſet, parricidio tamen filii puniri non debuiſſet. Unde & Ovid. *1. Eleg. 7. Patris malus ultor Oreſtes.* Dejanira hortatur filium, ut matrem in ultionem patris occidat, ſed addit: *Hoc erit pietas ſcelus.* Sen. *in Herc. fur.*
Inexcuſabile parricidium Gregor. VII. Nec unquam excuſabit Gretſerus *in Apol. pro Greg.* 7. parricidium Hildebrandinum, quo armavit duorum filiorum manus in Henricum IV. patrem, ne divina quidem unius ultione deterritus, quia licet is dignus fuiſſet quã maximè, qui imperio ſpoliaretur, illi tamen indigni, qui ſpoliarent, ſive pontificem ſpectes cujus profeſſio à ſanguinis profuſione & omni re impia & ſacrilega abhorrebat, ſive filios Imperatoris, qui contra pietatem à natura etiam animalibus implantatam, contra gratitudinem parentibus ob tot beneficia debitam, contra ſubjectionem religione confirmatam, contra ipſum denique præceptum divinum, paſſi ſunt ſe, ſive vana ſuperſtitione, ſive intempeſtiva ambitione, in honorem, & ſalutem patris parricidialiter armari. Deus minitatur adulterium Davidis punire adulteriis & ſtupris uxorum ſuarum, 2. *Sam.* 12. ſed Pontifici id non licere magis, quam ſuum cuique ſine cauſa eripere & ad alium poſſeſſorem transferre, quod Deum quoque, tanquam Dominum Univerſi, facere poſſe conſtat, *c. dixit Dominus.* 14. *q.* 5. *c. diſcipulos. de conſecr. diſt.* 5. *c. ſi non licet.* §. *ſed his* 23. *q.* 5. rectè tradidit Occham. *in tr. de poteſt. Pontif. & Imp.* & ex eo autor. *ſomn. virid.* Id enim caput eſt in omni ſupplicio humano, *quàntum pietas permittit*: & ne *ſupplicium ſit pejus peccato.* Porrò verò princeps à Republ. diſtingui non poteſt,

ſicut

ſicut mater à patre, quia ſemper manet pars Reipubl. & quidem præcipua licet vitium quodammodo contrahat, quia nec caput propterea abrumpitur, quod Epilepſia concutiatur, aut veterno torpeſcat, aut vertigine tráſverſim agatur, niſi prorſus ſphacelo vitietur, prout paulò ante diximus. Pater verò non eſt pars matris, à qua per divortium ſeparari poteſt, ut nihil interim decedat matri. Sed princeps nequit impeti, quin ſimul impetatur Reſp. cujus pars eſt, nec trucidari, quin interitus ejus ſecum rapiat perniciem totius Reip. quæ melius ſæpe habet ſub principe deteriore, quam ſub periculoſa & incerta mutatione ad meliorem.

Quod hactenus Principem patri ſimilem eſſe demonſtravimus, uno verbo eludit Bucher. *lib. 1. c. 19.* quando principem non *Patri*, ſed *Tutori*, aſſimilandum contendit, & inde infert ſicut Tutor accuſatione ſuſpecti removeri poteſt, ita poſſe etiam principem, quæ eſt ſententia & argumentatio Roſſæi *c. 2. n. 9. de juſt. Reip. autor.* Sed *in lib. 2. de jur. maj. c. 1. n. 4.* & 5. oſtendimus, non tàm tutorem, quam poſſeſſorem & patrem Reipubl. eſſe principem, quippe, quam tranſmittat in hæredes, & de qua etiam pro arbitrio, ſive teſtamento, ſive decreto diſponendi facultatem habeat, modò id ſibi cordi eſſe ante omnia ſinat, ne quid diſponat quod vergat in detrimentum Reipubl. Nam ne privatus quidem paterfamiliâs ſua bona prodigere poteſt in præjudicium liberorum. Sed eſto: ſit tutor ſubditorum princeps, ecquid inde elici poteſt, pro autoritate populi contra majeſtatem principis? Equidem pupillo non licet tutorem poſtulare ſuſpecti, quam diu impubes eſt, & ſub tutela. *l. pietatis. 6. in fi. C. de ſuſp. tutor. l. impuberem. 7. ff. Eod.* & §. *Impuberes. Inſt. Eod.* Reſpubl. verò ſub perpetua tutela eſt, quia ſemper indiget rege, tanquam tutore, nec eum unquam abdicare poteſt, ut pupillus, adepta legitima ætate. quoniam ad eam nunquam adoleſcit ætatem, ut Majeſtate, tanquam gubernatrice ſumma, carere poſſit. Sed ſi & hoc indulgeamus, quod pupillus poſſit tutorem poſtulare ſuſpecti; adhuc nihil obtinebunt adverſarii, quia nihil ominus prohibetur in propria cauſa ſententiam & judicium ferre, ſuſpectivè damnatum tutorem ſua autoritate removere, cum poteſtas hæc pertineat ad magiſtratum ſuperiorem, à quo tutori fuit mandata & confirmata adminiſtratio. *l. 1. §. ſuſpecti. ad SC. Turpil. l. 1. § damus de ſuſp. tutor.* Ergò nec ſubditi, qui pupillis comparantur, propriam cauſam contra tutorem ſuum decidere, & ultra juriſdictionem ſuam, in Dei ipſius, qui tutorem cum mandatis populo & Reipubl. præfecit, imperium involare poſſunt.

5. Princeps an tutor magis, quã pater Reip.

4.
Diſſimilitudo aliorũ exemplorũ afferri ſolitorum.

Et hoc eodem vitio laborant cætera exempla & præjudicia, quæ confertim ab adverſarijs obtruduntur. Patrem enim ſævientem ajunt puniri, *l.1. de huqui ſunt ſui jur.* & patronum ſacrum fieri, ſi clienti fraudem nexuerit, ex l.12. tabul. Serv. *6. Aeneid. in illud: Aut fraus innexa clienti,* atque hoc torquent ad Regem, quaſi is eadem judicari lege debeat, qua patronus ex jure municipali, aut quaſi, quod Decemviris viſum fuerit de patronis ob ſingulares cauſas, cum præ Græcis clientum ordinem maximo favore proſequerentur, Halc. *lib.* 2. Gell. *lib. 5. c.13.* adeò, ut ne deri ſui quidem haberi ſine ſcelere à patronis potuerint, Gell *l.10. c.2.* idem transferri debeat ad Reges, qui omni judicio & ſupplicio humano ſunt ſuperiores, nec cum patronis niſi ſecundum quid comparari poſſunt. Multa conſtituta ſunt de Dominis, Vaſallorum reſpectu, multa de patronis reſpectu clientũ, & alia quidem in aliis Rebuſpubl. ex quibus efficacia argumenta ad magiſtratus & Reges trahi nequeunt, tum quia conſtituta ſunt tantum in Dominos & patronos, tum quia diverſa eſt natura horum à natura Regum & magiſtratuum. Sed etiamſi comparationis vim admitteremus, tamen nihil obtinerent, quia paterfamilias propter ſævitiam non punitur à liberis, nec patronus, ut ſacer fiat, convincitur coram clientibus, ſed coram & à magiſtratu. Nam, ſi hîc quoque jus clientelare attendendum, tantum abeſt, ut provincia de patronis judicandi data fuerit clientibus, ut, vel teſtimonium contra patronum ferre clienti religio eſſet, imò, inquit Plutar. *in Rom. neq; pium, neq; fas erat alteris alteros in judicijs convenire, aut inimico animo impetere.* Cic. *lib. de Invent. in fi.* Quod ſi quis in aliquo hujuſmodi facinore deprehenſus fuiſſet, proditionis lege, quam Romulus ſanxerat, tenebatur. Halyc. *lib. 2.* Hac lege tenebantur etiam ſubditi, qui Regem tanquam patronum judicare temerè præſumunt, quia & clientes, qui id faciebant, Diti ſacri erant. Si enim de fraude ſubditis innexa judicandus princeps, non ab iis, quibus fraudem nexuiſſe arguitur, (Id enim foret actor & judex, quod Gregorio VII. Henricum IV. Imperatorem de ſolio deturbanti, objecerunt Epiſcopi Germaniæ, Avent. *Annal*) ſed à competente Majeſtatis regiæ judice vel damnandus vel abſolvendus venit, quem illi deſignat Ambroſ. *in Apol. David. c.* 4. *&* 10. Solum Deum, quo ſolo minor eſt, ſecundum Tertull. *in Apol.* à quo ſolo in regia conſtituitur & confirmatur, ſecundum Hincmarum Rhemenſem Epiſcopum, *lib. de off. Reg. Reges*, ait Otto Friſing. *in Ep. ad Frider. Barbar. utpote conſtituti ſupra leges, divino examini reſervati, ſeculi legibus non coercentur.*

Nec

7. Rejiciuntur argumenta ſumpta à Domin. & ſerv.

Nec quod de ſervis objicitur, appoſitè ad rem accommodatur, quia licet ſervi indignè habiti confugiendi ad ſtatuas, & dominum mutandi copiam haberent, *l. 2. de his qui ſunt ſui. Item C. de Lat. hared. toll.* tamen præter fugã, nulla iis poteſtas in Dominum conceſſa erat. Sed & ad Dominum retrahebantur, qui temerè profugiſſent, & Cajum reprehendit Joſephus, 19. *Antiq. c.* 1. quod ſervis fecerit licentiam deſerendi Dominos, & ſuſtinuerit Claudium patruum cauſam capitis dicentem, à Polluce mancipio ſuo accuſatum. Quod ſi princeps Tyranni veſtigia tam preſsè ſequatur, ut ſubditos deprimat uſque ad conditionem ſervilem, & cum Nerone putet ſibi eos ictu uno præſcindendos, non tantum fugere, ſed & aliis rationibus Tyrannidi obviam ire licere Reipubl. paulò poſt ſubjiciemus: Dum verò legitimam poteſtatem retinet, & nondum prorſus degenerat in Tyrannum, cujus eſt omnia referre ad commodum privatum, ſupreſſo publico, naturali obligationi nondum poſſunt ſubditi renuntiare, quia arctius, quam ſervi Dominis, tenentur obſtricti. Servitutem enim JCti tradunt eſſe præter naturam, *l. 5. de ſtat. hom.* §. 2. *Inſt. de jur. perſ. c.* 3. §. *Et ſicut Nov.* 89. *Quib. mod. nat. eff. ſui.* nec id vel ipſe Ariſt. de majori parte ſervorum negaverit; A violento autem & quod eſt contra naturam facilis eſt relapſus ad principium & naturam, unde libertati jura & leges maximè favent: Verum ſubjectio ſubditorum naturali ordini adeo cõſentanea eſt, ut etiã in apib. *c. in apib.* 7. *q.* 1. *ex Hieron.* 4. *ad Ruſtic. Monach.* Plin. 11. *c.* 17. Virg. 4 *Georg.* & Gruibus, Caſ. *lib.* 3. *Sphær. c.* 7. ex Ariſt. 1. *hiſt. anim.* adumbrata ſit. Naturalem autem obedientiam & obligationem tam facilè rumpere non licet, ut ſubjectionem violentam, quia ne liberis quidem licet ejurare patrem, ſi vel præter pietatem paternam ſeverum ſe exhibeat, vel bona ſua liberalius prodigat, quam filiorum neceſſitates patiantur. Magis autem eſt, ut patri principem, quam Domino, & ſubditos liberis, quam ſervis comparemus. Naturæ quoque conſonum eſt, ut plus debeat, qui plus accepit. *Qui enim plus dat, plus obligat* ait ipſe Salvator. *Luc.* 7. Quantillum verò id eſt, quod accipit ſervus à Domino, ſi referatur ad beneficia, quibus cumulantur ſubditi à principe liberi à patre. Imò cum ſervus vitam & omnia ſua cogatur Domini libidini conſecrare, nullam inde remunerationem expectare habet: Sed rex dum ſe devovet pro Republ. & perpetuis torquetur ſollicitudinibus, dum res curat non ſuas, ſed Reipubl. adeoque alienis commodis ſua dederit, & aliis inſerviendo ſe conſumit, annon ipſi pro tot laboribus, tot periculis, tot moleſtiis, plus debetur & reverentiæ & præmiis ab iis, pro quorum ſalute perdius

& pernox vigilat, quam Domino à ſervis, qui nihil emolumenti ſentiunt ex cura herili. Inique igitur æſtimant ſubditi, qui principis voluptatibus ſtrenuè invident, laboribus non condolent: qui uno ejus maleficio infinita beneficia deleri cenſent, & non potius aliquid mali muſſitare volunt, ut multa bona leviculâ patientiâ redimant.

8. *A Dom: & vaſallo.* Porro comparatio deducta à vaſallo & Domino, multis modis claudicat & inepta eſt, quia vaſallus & Dominus contractu mutuo ad certas conditiones ſe obligant & proinde vel mutuo conſenſu ab eo reſilire poſſunt, vel altera pars liberatur, quando altera acceptis conditionibus non ſatisfacit. Tum etiam Dominus feudi, licet ſervitia à vaſallo, niſi poſſideat feudum francum, exigat, jurisdictionem tamen in eum ſibi vindicare non poteſt ratione feudi, Alber: *in l. 5. C. ad 6. Iul. Majeſt:* & ſic minus ſubjectus eſt vaſallus Domino, quam principi ſubditus minus eidem obligatus eſt, minus honoris & reverentiæ debet. Denique nec vaſallus in cauſa propria judicare poteſt Dominum quemadmodum adverſarij ſubditis tribuunt jurisdictionem in Regem. Cæterum, cum diſſimilitudinem copioſè declaraverit Barclai: *Contr: Monarch:* non eſt ut crambem recoctam bis apponamus.

Ab Abbate & Monacho. Objiciunt denique exemplum Monachorum, qui licet nec velle nec nolle habeant, *c. 27. de Elect: in 6.* ſævienti tamen in ſe Abbati reſiſtere poſſunt. Dec. *in l. ut vim. de juſt: & jur:* Verum Monachus non tam ſanctè, nec perpetuum obligatur Abbati, ſed ad regulæ obſervationem &c. ideoque minori ſcelere abjicit baculum Abbatis, quam ſubditus ſceptrum Regis quod ipſi vel annatum eſt vel tanquam perpetuum obductum. Deinde aliud eſt reſiſtere, aliud vi à loco dignitate & imperio deijcere. *Scutum quidem dandum ſubditis, ſed non gladium,* ait Liv. & cui licet fugere, aut injuriam impendentem declinare, illi non licet ſtatim vim contra inferre. Porrò ſi exemplum Monachi, tanquam militis religioſi valet, quidni eadem veriſimilitudine valeat exemplum militis ſecularis. Is autem etiam tum notatur, ſi verberanti Centurioni reſtiterit.

9. *A minori magiſtratu ad principem.* Denique ſemper à minori magiſtratu, precario & ambulatorio, vitioſè colligitur ad principem, quia in hunc crimen Majeſtatis propriè, in illum non niſi impropriè committitur, Bald. *in l. data. C. de his qui accuſant: in fin:* Angel. *in l. fallaciter. num. 4. C. de abolit.* Bartol. *in conſ: qui ſint r. bell.* Cyn. & Salyc. *ad l. quiſquis C. ad l. Iul. Majeſt:* Clar: *5. rec. ſent: § laſ. num. 5.* Gig. *de crim. Majeſt: q. 21. nu. 9.* Eman: Soar: *verb. Majeſt:* Nam Magiſtratus non habet majeſtatē, niſi fictione, ideoq; nec tanta ipſi

ipſi debetur reverentia, quanta principi nec naturalem obligationem frangit, qui ſe illi opponit, quia obligatio ſubditorum tendit ad principem, & ad magiſtratus tantum propter principem, cujus autoritate præſunt, & pro ejuſdem arbitrio tolluntur quod & D. Petrus innuit. *1. Petr. 2.* quando jubet nos obedire *Regi tanquam præcellenti. & ducibus, tanquam ab eo miſſis.* Nequaquam igitur ſequitur: In magiſtratum aliquem ex minoribus ſine ſacrilegio tolluntur manus. Ergo & in ſummum principem, quia ſolus ſummus princeps Sacramento fidelitatis habet ſibi obligatos ſubditos per ſe, ſola hujus perſona propter ſe ſacroſancta eſt & inviolabilis, reliquorum, quatenus ab hac dependent: Solus princeps pater eſt & protector Reipublicæ, reliqui ejus tantum miniſtri, & vicem gerentes. Nec dubium eſt apud quenquam, quin gravius peccetur in judicem pedaneum, quam Conſulem aut Ducem, licet uterque ſuſtineat officium publicum. Ita quoque Monachus etiamſi injurius fiat in Abbatem, vaſallus in Dominum cliens in patronum, nunquam tam graviter peccat, quam ſi eadem injuria afficiat ſupremum principem, quia augetur injuria ex dignitate perſonæ dignioris, ſanctioris reverentia majore afficiendæ.

Et hoc modo diluimus ea quæ ex traditis à JCtis obijci poſſent, de poteſtate reſiſtendi magiſtratibus. Quam diu enim datur ſpatium & facultas appellandi vi reſiſtere non licet, quia recurri poteſt ad ſuperiorem, niſi damnum inferatur irreparabile, quia fruſtrà poſt illud appellaretur. Marant: *diſp. 1.* Zoan: *tr. 3. de defenſ.* Mynſing. *ob. 18. Cent. 5.* Oorecht: *de defenſ neceſſ. c. 6. num. 36.* ex eo fundamento reprobat opinionem Ludovici Romani *in l. 1. ff. de re jud:* quod in re reparabili magiſtratui licitè reſiſtatur, dummodo conſtet notoriè de iniquitate. Nam *quam diu quis venire poteſt per directum, non debet venire per indirectum,* nec tentanda via extraordinaria, dum patet ordinaria, & recurſus datur ad ſuperiorem. Si verò ſuperior juſtitiam deneget, ecquid remedij tum ſperandum? An illi fas eſt reſiſtere, ut alicui ex magiſtratibus minoribus? Certe nec ſanctitas Majeſtatis *nulli unquam impune premenda*, nec ordo naturæ, nec religio patitur, ut ſcelerato auſu quicquam ſupremo principi per vim extorqueatur, Tholoſ: *lib. ult. de Repub. c. ult. n. 9.* Sed provocandum ſupereſt ad eum, qui dicente Turonenſe *l. b. 5. c. 1* ſe dixit juſtitiam, qui corda regum in ſua manu gerit & inde diſpenſat pro meritis ſubditorum ut ex Gregorio notat Lyra *2. Samuel. 21.* qui retributionem & vindictam ſibi reſervat *Deut. 32. Prov. 20 & 17. Eccleſ. Rom. 12.* tanto gravius ad inſperatam vindictam proceſſurus, quantò minus

regum peccata humanis ſuppliciis in terra expiari poſſunt.

10. *Vtrum ſeditiones ex utilitate publica laudanda.* Interim tamen ſeditiones multi commendant, quibus Tyranni & mali principes, qui ſe contra omnem vim obfirmarant, è Republ. cui iniuſtè incubabant, eijciuntur, quemadmodum Antonius ait *in orat: pro C. Norban: Multos ſæpe populi impetus non injuſtos eſſe: multas etiam è Republ. ſeditiones ſæpe factas, ut cum Reges eſſent exacti, ut cum tribunitia poteſtas eſſet conſtituta.* Cic. *2. de orat.* Eo enim argumento pugnat Hottom: *c. 19. Francog.* quando tumultum populi contra Ludovicum XI. quem autores indigetarunt, *pour le bien publi*, excitatum propter ſeveriores Regis exactiones, non tantum excuſat, ſed jure excitatum defendit, planè ad exemplum Machiavelli, *1 diſcurſ: in Liv: cap. 4.* qui ſeditiones quaſdam utiles Reipubl: & ſalutares non veretur aſſerere, ut & Cyr: Sponto: coro del princip: Hurault. *lib. 1. des offic. d' eſtat. ch. 3.*

Boterus mitiori nomine vocat *motus bonorum*, quales in Republ: Rom: producit contra Tarquin; & Neron. è Syracuſana contra Dionyſium *lib: 4 de polit: Illuſtr: c. 1.* Cæterum, quod tales ſive ſeditiones, ſive motus populi non ſint utiles Reipubl. *libr. 2 Polit. c. 4.* oſtendimus & *in relect. polit:* plenius teſtatum faciemus: Modò reſpondemus non eſſe juſtos, licet benè ſæpe cedant & bonum in eventum & mutationem Reipubl. ſalutarem deſinant, niſi is, contra quem excitantur, prorſus degenerarit in Tyrannum, de cujus juſta ejectione paulò poſt agemus. Contra principem legitimum, ſi exoriantur, quia illiciti ſunt, & ſine juriſdictione ordinaria ducuntur, nunquam propter bonum eventum laudem merentur. Nam & *venenum aliquando pro remedio fuit*, ait Senec: *2. de benef. c. 18. in fin: non ideo numeratur inter ſalubria.* Multis morbi occaſionem dederunt probæ vitæ, ut memorat Tiraq *de nobil. c. 31. nu. 318.* non ideo præferuntur ſanitati, nec ad morbos alios abigendos excitantur, niſi plus ex abigendis inſtet periculi, & ſubſidia aliunde non ſuppetant. Nec enim minor morbus majori ſuffocandus, nec facienda mala, ut eveniant bona Lutherus probè dixit *in libell. de pot: & eff: magiſtr: par. 3. §* Kürtzlich *An. 1523. edito:* Wer vnrecht nicht ſtraffen kan/ohn grōſſer vnrecht/der laß ſein Recht fahren/wie billich es immer ſey/& perperam è contrario Johannes Parvus *in orat: pro Duce Burgund: Aſſaſinio:* Non eſt mors magis propria & conveniens Tyrannis, quam cum ipſi turpiter occidantur per inſidias & ſpeculationes, ſicut turpiter vixerunt, inſidias aliis locando. Nam peccata in judicio humano per peccata non ſunt punienda, quemadmodum olim Romæ adulteræ publicè cum publica infamia proſtituebantur, facta copia cum ijs conſueſcendi, quibus li-

Digitized by Google

bus liberet Evagr. *libr.* 2. Niceph: *libr. 16.* Nec ſatis diſtinctè inferunt, qui ſic argumentantur: *Malum omni Jure tollendum eſt. Degener princeps eſt malus. E. Omni jure tollendus.* Nam malum tollendum eſt quidem, ſed cum minori malo & ſine peccato. *Quod meruit, auget, qui ſcelus ſcelere obruit:* ait Sen. *in Agam: Act.* 2. Patria liberanda eſt omni conatu & quacunque via. ſed multi tamen negant, pro ſalute patriæ eſſe parricidiales manus inferendas patri, quia vindicta non careret peccato, & in eo errat argumentatio Opimii apud Ciceron. *in par. Orat. Jure feci, ſalutis omnium & conſervandæ Reipubl. cauſa:* nec non mandatum & legatio Senatus Romani ad Claudium his verbis: *Nihil eſſe honeſtius, quam pugnare pro libertate patriæ.* Joſeph. 19. *Antiq. c.* 2. *in fin.* Semper enim præſupponendum eſt illud Origenis *Quantum ſalva pietate licet.* Jubebat Varanes Perſarum Rex ut Abdas Epiſcopus reſtitueret templum ignis, cui ignem injecerat, ſalvas fore Eccleſias Chriſtianorum, & liberum iri relictum cultum Veræ religionis. Sed Abdas maluit certum Martyrii periculum ſubire, quam ſalutem & quietem Eccleſiarum tanto peccato emere. Niceph. 14. *c.* 19. Juſtæ igitur nequeunt eſſe ſeditiones. ſed ex bono eventu, & Zelo juſtave autorum intentione aliquando excuſationem merentur. & referuntur inter ea, quæ bonus Politicus quidem non probat, nec fieri jubet, ſed facta diſſimulat, id quod ipſe Antonius innuit, dum ita ſe explicat: *Si unquam populo Romano conceſſum fuit, ut jure concitatus videretur, accedente imprimis neceſſitate, ex metu præſentanei periculi, quæ regulas & leges funditus ſubvertit,* ut dicit Joſeph. 19. *Antiq. c.* 1. *Jus publicum, niſi ſublato Cajo, ſalvum eſſe non potuit.* Hæc enim *injuria,* dicente Cicer. 1. *offic. a juſto metu proficiſcuntur, cum quis, qui nocere alteri cogitat, timet, ne niſi id fecerit. ipſe maximo afficiatur incommodo* Sic enim & bellum diverſivum alibi excuſavimus. *in ſ. cauſ. juſt. bell.* quando ſeditioſos homines alia quæſitum diverſoria è noſtris provinciis amandamus, aut quod nobis imminebat bellum, in alienam Remp. effundimus. Ipſæ leges connivent illius injuriæ, qui vicini ædes diruit ut ſuas eripiat incendio publico, *l. ſi q. in fumo.* § *quod dicitur. ad l. Aquil.* aut qui juſſu Tyranni alium occidit, ne ipſe occidatur. *gl. in l. ſi familia verb. agi poterit, ſi fam. furt. fec. dicat,* Bald. *in cap.* 1. §. *injuria. col. pen. nu.* 19. *verſ. pone de pac. Jur. firm.*

CAPUT

regum peccata humanis ſuppliciis in terra expiari poſſunt.

10. *Utrum ſeditiones ex utilitate publica laudanda.*

Interim tamen ſeditiones multi commendant, quibus Tyranni & mali principes, qui ſe contra omnem vim obfirmarant, è Republ. cui iniuſtè incubabant, eijciuntur, quemadmodum Antonius ait *in orat: p o C. Norban: Multos ſæpe populi impetus non injuſtos eſſe: multas etiam è Republ. ſeditiones ſæpe factas, ut cum Reges eſſent exacti, ut cum tribunitia poteſtas eſſet conſtituta.* Cic. *2. de orat.* Eo enim argumento pugnat Hottom: *c. 19. Francog.* quando tumultum populi contra Ludovicum XI. quem autores indigetarunt, *pour le bien publi*, excitatum propter ſeveriores Regis exactiones, non tantum excuſat, ſed jure excitatum defendit, planè ad exemplum Machiavelli, *1. diſcurſ. in Liv: cap. 4.* qui ſeditiones quaſdam utiles Reipubl: & ſalutares non veretur aſſerere, ut & Cyr: Sponto: coro del princip: Hurault. *lib. 1. des offic. d' eſtat. ch. 3.*

Boterus mitiori nomine vocat *motus bonorum*, quales in Republ: Rom: producit contra Tarquin; & Neron. è Syracuſana contra Dionyſium *lib: 4 de polit: Illuſtr: c. 1.* Cæterum, quod tales ſive ſeditiones, ſive motus populi non ſint utiles Reipubl. *libr. 2 Polit. c. 4.* oſtendimus & *in relect. polit:* plenius teſtatum faciemus: Modò reſpondemus non eſſe juſtos, licet benè ſæpe cedant & bonum in eventum & mutationem Reipubl. ſalutarem deſinant, niſi is, contra quem excitantur, prorſus degenerarit in Tyrannum, de cujus juſta ejectione paulò poſt agemus. Contra principem legitimum, ſi exoriantur, quia illiciti ſunt, & ſine jurisdictione ordinaria ducuntur, nunquam propter bonum eventum laudem merentur. Nam & *venenum aliquando pro remedio fuit,* ait Senec: *2. de benef. c. 18. in fin: non ideo numeratur inter ſalubria.* Multis morbi occaſionem dederunt probæ vitæ, ut memorat Tiraq *de nobil. c. 31. nu. 518.* non ideo præferuntur ſanitati, nec ad morbos alios abigendos excitantur, niſi plus ex abigendis inſtet periculi, & ſubſidia aliunde non ſuppetant. Nec enim minor morbus majori ſuffocandus, nec facienda mala, ut eveniant bona Lutherus probè dixit *in libell. de pot: & eff: magiſtr: par. 3. §* Kürtzlich *An. 1523. edito:* Wer vnrecht nicht ſtraffen kan/ ohn gröſſer vnrecht/ der laß ſein Recht fahren/ wie billich es immer ſey/ & perperam è contrario Johannes Parvus *in orat: pro Duce Burgund: Aſſaſinio:* Non eſt mors magis propria & conveniens Tyrannis, quam cum ipſi turpiter occidantur per inſidias & ſpeculationes, ſicut turpiter vixerunt, inſidias aliis locando. Nam peccata in judicio humano per peccata non ſunt punienda, quemadmodum olim Romæ adulteræ publicè cum publica infamia proſtituebantur, facta copia cum ijs conſueſcendi, quibus li-

Digitized by Google

bus liberet Evagr. *libr. 2.* Niceph: *libr. 16.* Nec ſatis diſtinctè inferunt, qui ſic argumentantur: *Malum omni Jure tollendum eſt. Degener princeps eſt malus. E. Omni Jure tollendus.* Nam malum tollendum eſt quidem, ſed cum minori malo & ſine peccato. *Quod meruit, auget, qui ſcelus ſcelere obruit*: ait Sen. *in Agam: Act. 2.* Patria liberanda eſt omni conatu & quacunque via, ſed multi tamen negant, pro ſalute patriæ eſſe parricidiales manus inferendas patri, quia vindicta non careret peccato, & in eo errat argumentatio Opimii apud Ciceron. *in par. Orat. Jure feci, ſalutis omnium & conſervandæ Reipubl. cauſa*: nec non mandatum & legatio Senatus Romani ad Claudium his verbis: *Nihil eſſe honeſtius, quam pugnare pro libertate patriæ.* Joſeph. 19. *Antiq. c. 2. in fin.* Semper enim præſupponendum eſt illud Origenis: *Quantum ſalva pietate licet.* Jubebat Varanes Perſarum Rex ut Abdas Epiſcopus reſtitueret templum ignis, cui ignem injecerat, ſalvas fore Eccleſias Chriſtianorum, & liberum iri relictum cultum Veræ religionis. Sed Abdas maluit certum Martyrii periculum ſubire, quam ſalutem & quietem Eccleſiarum tanto peccato emere. Niceph. 14. c. 19. Juſtæ igitur nequeunt eſſe ſeditiones, ſed ex bono eventu, & Zelo juſtave autorum intentione aliquando excuſationem merentur. & referuntur inter ea, quæ bonus Politicus quidem non probat, nec fieri jubet, ſed facta diſſimulat, id quod ipſe Antonius innuit, dum ita ſe explicat: *Si unquam populo Romano conceſſum fuit, ut jure concitatus videretur, accedente imprimis neceſſitate, ex metu præſentanei periculi, quæ regulas & leges funditus ſubvertit,* ut dicit Joſeph. 19. *Antiq. c. 1. Jus publicum, niſi ſublato Cajo, ſalvum eſſe non potuit.* Hæ enim *injuriæ*, dicente Cicer. 1. *offic. a juſto metu proficiſcuntur, cum quis, qui nocere alteri cogitat, timet, ne niſi id fecerit, ipſe maximo afficiatur incommodo* Sic enim & bellum diverſivum alibi excuſavimus. *in 5. cauſ. iuſt. bell.* quando ſeditioſos homines alia quæſitum diverſoria è noſtris provinciis amandamus, aut quod nobis imminebat bellum, in alienam Remp. effundimus. Ipſæ leges connivent illius injuriæ, qui vicini ædes diruit [illegible] ſuas eripiat incendio publico, *l. ſi q. in fumo. § quod dicitur. ad l. Aquil.* aut qui juſſu Tyranni alium occidit, ne ipſe occidatur. *gl. in l. ſi familia verb. agi poterit, ſi fam. furt. fec. dicat,* Bald. *in cap. 1. §. injuria. col. pen. nu. 19. verſ. pone de pac. Jur. firm.*

CAPUT

CAPUT IV.

De Tyranno, quid ſit, qua in re differat à legitimo principe, & utrum à ſubditis, ſive conjunctis, ſive ſingulis poſſit à Republ. ſecludi.

SUMMARIA.

1. *Tyrannum occidere olim glorioſum fuit, & præmijs diviſiſq; honoribus remuneratum.*
2. *Multi legitimi principes à ſubditis aut occiſi aut interfecti, quod ex privatis quibuſdam criminibus crederentur Tyrannorum loco eſſe.*
3. *An Angli Henricum VI. & Richardum II. Galli Childericum III. & Carolum Simplicem jure exuerint regno.*
4. *Propter inſufficientiam & imbecillitatem Rex nequit deſtitui à ſubditis.*
5. *Neq; propter crudelitatem & ſævitiam.*
6. *Neque propter ſeveram exactionem tributorum & impoſitionem Vectigaliũ.*
7. *Neque ſi negligat imperium & decreta Senatuum.*
8. *Neque ob alia vitia, quæ Angli imputarunt Richardo II.*
9. *Tyrannus non æſtimatur ex vitijs quibuſcunq;, quantumvis gravib.*
10. *Sed ex neglectu officij publici & deſtructione Republ.*
11. *Vera & perfecta Tyranni definitio ab Ariſtot. tradita explicatur.*
12. *Tyrannum in titulo, ab ijs, qui jure non ſunt ſubditi, licitè deponi poſſe.*
13. *Etiamſi benè adminiſtret malè occupatam Rempubl.*
14. *Aut conſenſu populi curet ſe proclamari principem legitimum.*
15. *Quid juris in Tyrannum in Exercitio.*
16. *Licet propoſitum ſubditorum, qui perfectum Tyrannum excludunt è Republ. excuſari poſſit ratione bonæ intentionis: non tamen eſt utile Republ. nec præmijs invitandum aut legibus comprobandum.*

Diſputatum eſt pro ſalute & incolumitate legitimi principis, quem ab injuriis & ſeditionibus ſubditorum tutum præſtat ordo & poteſtas divina, à qua dependent & ſuſtentantur omnia legitima imperia: Sed ne quis pravus diſputationis noſtræ arbiter, quæ de legitimo principe dicta ſunt, trahat ad Tyrannum, & populum manifeſtæ Tyrannidi ſubjici occlamet, neve communi atque utinam non nimis recepto errore, in legitimum principem quiſquam tentet, quod in Tyrannum licere vetuſtas credidit, ordo diſputationis exigit, ut Tyrannum doceamus ſeparare à Rege, ne utrumque funeſto errore confundamus cum Paride de Put. *tr. de ſyndic.* quando quærit: *An liceat occidere Regem Tyrannum.* Perinde enim eſt, ac ſi quærat, an liceat appetere virtutem vitioſam, ut paulò dicemus. Tyrannum verò licere etiam cum pernicie vitæ ſuæ à Repub. amovere, non tantum JCti & politici docent, Luc. de Penna *in l. ult. verſ. porrò Tyrannum. C. ut armor. uſus inſc. princ.* Bartol. *in tr. de Guelſ. & Gibell: n. 9.* Gail, *2. obſ. 61. n. 9.* Fab. & Angel. *in §. ju gent. Inſt.*

Tyrannum an meritò nimum ſit interficere.

Inſt. de jur. nat. gent. Alphonſ. de Caſtr. *de hæret. verb. Tyrannus.* Cajetanus *2. 2. q. 64. art. 3.* Sot. *de juſt. & jur. lib. 1. q. 6. art. 4. l. 4. q. 4. art. 1. in fi. l. 5. q. 1. art. 3.* Barclai. *contra Monarch. l. 3. c. ult. in fi. lib. 6. c. 19.* Bodin. *2. de Rep. c. 5. Thol. lib. ult. c. ult. n. 5.* quorum quidã diſtinguunt inter principes degeneres, & in juſtos uſurpatores, quidam minus, de qua diſtinctione videbimus paulò poſt, ſed Cicero quoq; *3. off. circa princ.* maximè honeſtum id eſſe affirmat. *Quod* inquit, *poteſt eſſe majus ſcelus, quam non modo hominem, ſed hominem familiarem occidere? Non igitur ſe obſtrinxit ſcelere, ſiquis Tyrannum occidit, quamvis familiarem? Populo quidem Romano non videtur, qui ex omnibus præclaris factis illud pulcerrimũ exiſtimat. Vincit igitur, utilitas honeſtatem, imò honeſtas utilitatem ſequitur.* Nec Romanorum ſolum ſed & Græcorum judicio Tyrannicidæ divinos merentur honores, ut idem Cicero teſtatur *pro Milone*, & legem Græcorum refert *lib. 2. de Invent.* *Qui Tyrannum occiderit, Olympionicarum præmium capito: Et quam volet, ſibi rem à magiſtratu depoſcito & magiſtratus ei concedito.* Apud Romanos ex eadem lege volebat Sentius Saturninus Chæreæ præmia decerni: *Ante omnia*, inquit, *Tyranni interfectoribus honores quam maximos decernite, Chæreæ præcipuè, qui vir, Diis faventibus, tum conſilio, tum manu nobis libertatem peperit, cujus rationem haberi decet, ut pro adito libertatis amore periculo, à libertatis digna præmia accipiat. Honeſtiſſimum enim eſt benefactoribus præmia reponere, qualis & vir hic habendus eſt, Brutorum & Caßiorum æmulus, interfectorum Cæſaris.* Joſeph. *19. antiq. cap. 2.* Ideoque mirum non eſt, ſi præmiis & immortali honore invitati cives certatim ſe animarint in Tyrannos, licet perpetuitatem pœnæ præſenti vitæ periculo ſibi emendam certò ſciverint.

Victima haud ulla amplior
Poteſt, magisq; opima mactari Jovi,
Quam Rex iniquus: ait Sen. *in Hercul. Fur.*

Ariſtoteles. *5. Polit. legem ſceptris innatam* ſcribit, *ut propter Tyrannicam adminiſtrationem è manibus regnantium excutiantur*, non quod jus & fas ſit ea excuti, quo ſenſu ſententiam Ariſtotelis citat Bucher. *lib. 1. c. 19.* ſed quia plerunque ita fieri ſolet, dum Tyrannis odio eſt omnibus, & quem oderunt, periiſſe cupiunt, atque etiam, ubi accedit licentia, legibus firmata & præmiis armata, cum gaudio ad interitum rapiunt, *Reges conſeneſcunt*, ait Senec. *1. de Clem. liberisq; ac nepotibus tradunt regna: Tyrannorum execrabilis ac brevis poteſtas eſt.* Thales interrogatus, quid vidiſſet in vita difficilimum, *Tyrannum* reſpondit *Senem.* Laert. *in Thal.* Diogenes cum incidiſſet in Dionyſium Corinthi vitam, procul omni

Digitized by Google

timore, degentem, *uti ipſum* dicebat *conditione ſeipſo indigna, quod cum dignus eſſet in Tyrannidis arce miſerrimam vitam trahere, nunc cum ſumma animi tranquillitate tutò & impunè viveret.* Adeò plerunque ſua Tyrannis flagitia exitio eſſe ſolent, & ne in privatis quidem ædibus tutos & ſine ſuſpitione vivere ſinunt, quin ſubinde cum Domitiano in porticu reſpicere cogantur, ne qua vel amici ſecuris incauti à tergo immineat. Sueton. *in Dom:* Quoſdam enim ipſi parentes, ut Caſſium, Liv. *libr. 2.* quoſdam fratres ut Timophanem, Plut: *in Timoth.* quoſdam uxores, ut Alexandrum Pheræum. Plutar. *in Pelop. ad fin.* Cic. 2. *Invent.* quoſdam conſanguinei, ut Julium Cæſarem. Plut. *in Caſ.* quoſdam domeſtici & miniſtri, ut Cajum, & Domitianum, Sueton. *in Caj. & Dom:* Joſeph. 19. *antiq:* quoſdam ſervi ipſi, partim privatis exacerbati injuriis, partim publica moti calamitate, trucidarunt. Uſque adeo.

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte Tyranni. *Juven. Sat. 10.*

2. Error Vulgi non diſtinguentis Tyrannum à principe.

Quia verò in hac theſi plerique aut nimis temerè concludunt, aut ſine diſcrimine vagantur, ſedulò diſtinguendus eſt Tyrannus à legitimo principe errante aut malè adminiſtrante Rempubl: Etenim vulgus impetum facere ſolet in principem degenerem non minus atque in Tyrannum, an verò vulgus? imo Pontifices ipſi, qui ſe ſupra errores efferunt, & alij non pauci, qui longè ſupra vulgus ſapere volunt. Nicolaus enim Papa Lotharium Imperat: negat verum Regem eſſe, propter adulterium quod arguebatur cum Gualdrada commiſiſſe. *c. ult. 2. q. 1.* Henricum IV. inter cæteras hac quoq; de cauſa abdicat Hildebrandus, quod ſuſpitio erat, ipſum uxorem dimiſſurum. Sigon: *9. Ita'* Ludovvico Pio detraxerunt Epiſcopi coronam, quod conjugis ſuæ Judithæ impuritatem improbè diſſimularet, & pollueret Cæſareæ culmen dignitatis, Crantz. 2. *Saxon. c. 25.* à qua conjuratione, quicquid in contrarium nitatur Baron. *tom. 9. An. 833.* & Gret: *contr. Haiminsfeld:* nequit excuſari Gregorius IV. pontifex Romanus, ut videre eſt apud Nithard. *libr. 1.* Auctor: coæt: *Lud: Pij.* Maſſon: *in Synop: doctr. Agobardi.* Leſchaſſer. *de lib. Eccl. Gall* apud Bochell. *lib. 4. t. 19. c. 1.* Idem objectum fuit Philippo Gallo, & Henrico 8 Anglo inter cauſas, ex quibus non modò ab Eccleſia, ſed & à Republ: arcebantur. Childericum III. Francorum Regem deſtituerunt ſubditi, quod eſſet inſufficiens, ut dicitur *in c. alius 15 q. 6.* ſed, ut Hildebrandus explicat, *non pro ſuis iniquitatibus, ſed quod tantæ poteſtati non erat utilis, in epiſt: ad Epiſc: Metenſ* quod repetit Trithem. *lib. 1. compend: Annal: de orig: Regum & gent: Franc:* *Hildericus Rex Francorum tanquam inutilis*

Lothar: Henric. IV. Imp. Ludovic: Pius Philip. Gall. Henric: 8. Angl. Childeric. Carolus Craſſus.

inutilis regno de unanimi omnium procerum conſenſu à regno deijcitur. Roſs. *de Reip autor:c.2.n.7.* Lupold: Pabeburg: *de jur: Imp: cap. 17.*

Carolum Craſſum deſeruerunt Germani & Itali ſubrogato Arnolpho de conſenſu pontificis, Sigon. *5. hiſt. Ital:* nec non Franci, qui ipſi ſubſtituerunt Odonem. Æmil: *lib. 3.* propter effætam virtutem, ſive *ob ſegnitiem corporis ingeniiq; tarditatem*, ut ait Platin: *in Steph. 6.* ſive quod *corpore & animo cepiſſet ægrotare*, ut ait Rhegin: *libr. 2. Chron.* qui cauſam depoſitionis reijcit in DEUM, dum hac δοκιμασίᾳ pium Imperatorem tentatū ſcribit, qui aliàs fuerat *Chriſtianiſſimus princeps, Deum timens, mandata ejus ex toto corde cuſtodiens. Eccleſiaſticis ſanctionibus devotiſſimè parens, in Elemoſynis largus, orationibus & Pſalmorm melodiis indeſinenter deditus, laudibus Dej infatigabiliter intentus.* Cum his tot ac tantis virtutibus non effugit Carolus notam Tyranni ac fortunam, depoſitus à rebellibus ſubditis, qui ejus imperium nequiter contra Normannos defenſum, flocci facere ceperant.

Bucherius collocat Henricum 3. Gallorum Regem in ordine Tyrannorum, abdicandumque cenſet quod eſſet perjurius, *lib. 2. c. 2.* homicida & Aſſaſſinus ob cædem Guiſiorum *c. 6* hæreticus aut ſaltē hæreticorum fautor. *c. 16.* imò multò minutoria & partim etiā ridicula obijcit *d. libr. 2.* adeò, ut & illud pro nefaſto crimine reputet & abdicatione puniendum urgeat, quod cū alij dixerint: *Noſter populus, noſter Clerus,* is ſolitus fuerit dicere *Meus populus, meus Clerus* Johannes Parvus in oratione quā habuit coram Rege, pro excuſando parricidio Johannis Ducis Burgundiæ, in ducem Aurelianum, unicum Regis fratrem commiſſo: Monſtrel: *lib. 1. c. 38. 39.* poſtquam præmiſerat *Tyrannum à quovis vaſallo & ſubdito abſque juſſu magiſtratus poſſe interfici*, qui articulus unà cum aliis quibuſdam ab Academia Pariſienſi damnatus eſt, quod, ut ait Ger. *in cenſ. Error: aſſert: per Joh: Parv: circa pracept: non occides, repugnet legibus divinis & natura & moribus:* Ut porrò evincat, Aurelianum ducem fuiſſe Tyrannum, & potuiſſe jure ſine venia aut injuſſu Regis à Burgundo tolli, aliquot congregat vitia, quæ licet falsò ipſi impingat, tamen ut vera fuiſſent, ad Tyrannidis convincendum Ducem nequaquam ſuffeciſſent: utpote, *Quod per incantationes cujuſdam Monachi annulum & enſem infectum pro necando rege ſibi comparaſſet: Quod fœdus inierit cum Duce Lancaſtriæ, qui contra regem ſuum Richardum conſpiraverat: Quod reginam & liberos regios conatus fuerit in ſuam tutelam deducere. Quod conatus fuerit pomum intoxicatum Delphino dare: Quod Papæ blanditus ſit, inq; exigendis pecunijs opem ſuam præſtiterit, quo ejus favore aditum ſibi ad coronam pa-*

Henric. 3. Gall:

Dux Aurelian:

raret: Quid militem conſcripſerit ſubjectis moleſtum, & deniq; nova tributa impoſuerit ſubditis regiis. Antimach: *li.3. theor.8. ad fin:* Galli rebellioné

Ludovv. XI Gall:

concitarunt contra Ludovvicum XI quam Boni publici nomine, *pour le bien public*, indigedabant, ut populum vectigalibus preſſum ac penè ſervum in libertaté vindicarent, quę oppreſſio contra patres, ſæpiſſimè extimulavit plebé apud Romanos, & vix ex ulla alia cauſa frequentius naſcuntur ſeditiones, quam ex nimia tributorum exactione, *ut in Polit: de cauſ. corrup: docemus.*

Matthias Corvin:

Matthiam Corvinum propterea deſeruerunt Ungari adeò ut ex *75.* conventibus, non ſupereſſent niſi novem, qui ducibus Gabriele Archiepiſcopo & Michaele Palatino in fide regis remanerent, & coronatum ſacra corona, ut Michaël dicebat, etiamſi Bos eſſet, adorandum putarent, & pro ſacroſancto Rege ducendum & obſervandum. Bonfin *dec. 4. lib. 3.*

Ptolomæ:

Ptolomæum à regno propulerunt Ægyptij, quod pecuniam ſeverius exigeret Romanis impendendam, quò titulum Socij & Amici Regis, cui nimium inhiabat, admercaretur. Dion. *lib. 39.*

Cajus Imp.

Cajo hæc crimina impingit Joſeph. 19. *Antiq. c. 1.* ex quibus Tyrannidem ejus evincere, & cædem juſtè à Chærea factam defendere conatur: *Quod ſedibus Senatorum & Equitum omnia miſcuerit, divinos honores ſibi arrogaverit, ſervis licentiam dederit deferendi Dominos, germanam ſtuprarit, leges ſibi obſtare paſſus non fuerit.* Pauca alia adijcit Sentius in oratione, qua Chæream non tantum à ſcelere parricidij immunem tueri laborat, ſed & præmiis audacem ejus virtutem mactandam contendit, *Ioſe: c. 2.*

3.
Henricus VI. Angl:

Henricus VI. Anglorum Rex exutus fuit regno, non alia de cauſa, niſi quod eſſet ingenij ſtatarii, & fugitantis moleſtias bellicas, ita ut nec Gallorum de novo vires acquirentium moli, reſiſtere feliciter, nec motus domeſticos potentum ſubditorum reprimere poſſet. Nam infortunium & bellicas clades & jacturam Galliarum velle principis ipſius perſonæ imputare, ut à vulgò ut plurimum fieri ſolere oſtendit Gruter. *diſc in Tacit.*

Burgundiones.

& ut Burgundiones olim regem multabant exilio, ſi belli fortuna titubaſſet, aut ſegetum copiam negaſſet terra, *Marcell. lib. 27.* quoniam infelicitas facit homines contemtibiles, quid hoc eſt, quam aliquem punire de ſcelere, cujus particeps non ſit. Fur quidam apud Lucianum reſtim effugere quærit, dum fato ſe excipit compulſum ad ſubtrahendum res obvias, & Atreus apud Varium ſe excuſans *Jam fero, inquit, infandiſſima, ſed facere cogor.* Multò verò magis principes excuſati ſunt ſæpe de infortunio, quod ſua culpa nō accerſiverunt, quia Deus regna occulto conſilio transfert, & multi ſub juſto cadunt clypeo, *ut*

in Il,

Digitized by Google

in ll. *Longobardorum dicitur l. 3. t. qualiter quis ſe defend*: nedum ubi cauſæ
proximæ in propatulo ſunt, quæ in hoc caſu Gallis vires addebant &
Anglis detrahebant, vid: pueritia regis, & diſſenſiones principum, quo-
rum curæ & ipſe & regni belliq; ſumma commiſſa erat. Nec Gallorum
quiſpiam aliter aut ſentit aut ſcribit, quam divina manu per Johannam
Lotharingam pulſos eſſe Anglos. Paſquier *lib. 5. des Recherch. de France.
ch. 16.* Bellefor. *in Cap. 7. Chron. Gill.* Cur igitur eventus malus imputa-
tur regis imbecillitati? Cur ejus jugum propterea excuſſerunt ſubditi?
qui, cum rogaret Dominus de Fauconbrige, *utrum vellent amplius audien-
tes eſſe imperio Henrici* & iis abnuentibus, *utrum Eduardum Ducem Ebo-
racenſem ſibi regem conſtitutum cuperent*, non alia ſibi opus eſſe cauſa vel
poteſtate putarunt, quam ut ſe illius pertæſos, hunc pro rege velle re- *Eduard. II.*
ſponderent, nec alio jure expectato, Eduardus in regiam ſe intulit, & le-
gitimum ſucceſſorem excluſit, non ſecus ac olim Gothi pro libidine
mutabant Reges in Hiſpania, ſatis cauſæ putantes, ſi populo diſplicuiſ-
ſent: Aimon *lib. 2. c. 70. lib. 4. c. 35.* In qua regum viciſſitudine illud ampli-
us occurrit vituperandum, quod licet deponendi poteſtas penes popu-
lum manſiſſet, quam Bellarmin. *in recogn. lib. 3. q. de Laicis* jure à M. Rege
in Apologiæ præfatione reprehenſus, nunquam in univerſum abdicari à
populo & in Regē transferri poſſe cenſet, & audacter Archiepiſcopus
Cantuarienſis pro concione propugnare non erubuit, cum in carcerem
compactus eſſet Eduard. II. explicans illud Thema, *Vox populi, vox Dei.*
Thom. Walſing. & Richard. South VVel. *in Eduar: 2* Froſſar. *lib. 1. in pr.*
ea tamen populus non potuiſſet uti, niſi ex cauſa ſufficienti. Nequa-
quam verò ſufficit ad regis depoſitionem, ſi ſit ſedatioris animi, & tan- *Richard. II.*
tæ molis incapacis, quod Angli jam ante Eduardo II & Richardo II.
inter cauſas abdicationis imputarant, & Galli Childerico III. Carolo
Craſſo & Carolo Simplici. Nam ne mulier quidem aut puer ea ratio-
ne admitti debuit in locum Regis, quia nec ſat habent virium corporis
vel animi ad continendos ſubditos gliſcentes in officio, & armis repri- 4.
mendos hoſtes. Et licet in pueris poſſit expectari ætas adulta: in mulie- *Simplici-*
ribus tamen non poteſt, quæ naturaliter ſimplices ſunt & imbecilles. *tas regis nō*
Imò cur pertulerunt Galli imperium Caroli VII. & Johannis, nec un- *eſt ſufficiēs*
quam adduci potuit Pontifex ut confirmaret pacta inter Carolum VII. *cauſa abdi-*
& Henricum V. quibus curatela & ex parte poſſeſſio Galliæ Anglo aſ- *cationis.*
ſcribebatur? An non illi in mentem veniebat ratio Hildebrandi Chil-
dericum juſtè depoſitum fuiſſe, ob hoc ſolum, quod *tantæ poteſtati non
erat utilis. In Epiſt. ad Herm: Metenſ.* Scoti ſanctius, qui Ethodio II. quod

 ſtupi-

ſtupidior eſſet, quam regni adminiſtratio requireret, in ſingulis provinciis præfectos præpoſuerunt, curatorio nomine regnum adminiſtrantes Buchan *lib. 4 Scot.* Imò ipſe Pontifex Innocentius IV. Sanctio II. Portugaliæ regi curatorem dandum cenſuit, Duard. Nonius *in hiſt. reg. Portug.* quemadmodum de jure Canonico obſervatur in prælato, qui muneri Eccleſiaſtico defungi inidoneus eſt. *c. pervenit. 7. q. 1. c. quamvis Lud. c. 2. de ſupplend. neglig. prælat. in 6.* adeò ut non tantum inſidioſo & proprii commodi magis, quam publicæ honeſtatis ſtudioſo, ſed & impio & nefaſto ſuaſu Bonifacius 8. adegerit Cæleſtinum V. ſimplicem hominem & eremo magis, quam foro aut aulæ aſſuetum, ſummum Pontificatum ſibi in manus reſignare quòd tanto muneri pares vires non haberet, ſubornatis etiam clanculum, qui quaſi de cœlo in aurem ipſi inſuſurrarent: *Cæleſtine, Cæleſtine, dimitte Papatum, ſi vis ſalvus fieri, negotium ſupra vires eſt. Continuat.* Vincen. *lib. 31.* Stella & Plat. *in Bonifac. 8.* Nec enim, juſtam fuiſſe Childerici abdicationem rectè ab Eventu probat Bellarm. *lib. 2. de Pontif. c. 17.* ut & de imperii translatione, nimis quam argutè ratiocinatur. *libr. 5 de Pont. c. 8. exempl. 7. in reſp. ad 1. libr. de transl. Imp. c. 12. §. Porro.* quo argumento Alexander Magn. juſtitiam ſuæ cauſæ defendit contra Darium, ſcilicet quod Dii pro meliore cauſa ſteterint. *Curt. lib. 4.* An verò Craſſi & Alexandri expeditiones cauſis differunt quia differunt eventu? Pulcrè Plutarch. *in compar. Craſſ. & Nic. Qui Alexandri M. propoſitum expeditionis ſapientiæ probant, Craſſi culpant, non rectè ij ex poſtremis de primis judicium ferunt. Idem ante Craſſum Pompeius & Lucullus tentaverant, viri boni & apud omnes laudati. Idem tenuerat Cæſar in ſubigenda Hiſpania Gallis, Germanis, Britannis* &c. Non propterea deterior eſt cauſa Catonis, quia deteriori expedivit eventu. *Victrix cauſa*, ait Lucan. *Deo placuit, ſed victa Catoni.* Quin etiam licet feliciter lilia floruerint ſub Carolo M. tamen diſſenſione filiorum, & ignavia poſteritatis, brevi emarcuerunt, donec ab Hugone in aliam ſtirpem tranſplantarentur, & occulto Dei judicio Pipini poſteritas puniretur, in quo peccaverat. Quod verò etiam Bonifacium adducit, qui Pipinum juſſu Pontificis unxit, & ſuo conſenſu facti iniquitatem deleviſſe putatur, prius demonſtrare debuiſſet S. Bonifacium errare non potuiſſe. Errarunt Moſes & Aaron, licet hic eſſet ſummus Pontifex, cum illo Deus loqueretur de facie ad faciem, & diffidentia ſua traxerunt in ſua capita iram Dei. *Lev. 20. 27. Deut. 32.* Quidni potuit etiam Bonifacius errare, cum humanas exuvias in hac vita non exuiſſet, quanquam eum excuſandum putet Barclai: *c. 40. de poteſt. Pap.* quia tenebatur Papæ ſententiam

Iniqua depoſitio Childerici.

tentiam exequi, licet injuſtam, *c. paſtoralis. § quia vero, de off: jud. deleg.* & ideo *licet reum feciſſet* Zachariam *iniquitas imperandi, innocentem* Bonifacium *eſſe oſtendiſſet ordo ſerviendi & parendi neceſſitas c. quid culpatur. 23. q. 1. c. mi es 23. q 5.* Ipſum verò factum à crimine rebellionis liberari non poteſt, quia Pontifex ſubditos à juramento abſolvere non poterat, quia id fuiſſet diſpenſare contra præcepta Apoſtolorum, nec quicquā ad hunc actum contulit præter conſilium: Subditi verò autoritatem publicam in Regem non habebant, nec ſi habuiſſent, ad extremum remedium abdicationis provolare debuiſſent, cum Reip: per curatorem potuiſſent proſpicere, prout jure receptum eſſe teſtatur Bald *in c. 1. § hoc quoq; de ſucceſſ. feud. & in Auth. hoc amplius C. de fidejuſſ.* Montan. *tr. de jure tut. & curat. c. 28. n. 87.* aut non debuiſſent poteſtatem ſuam exercere ſine cauſa: Perinde enim eſt, cauſam afferre in idoneam, aut inſufficientem, atque nullam. Animus autem pacatior & ad res magnas gerendas ineptus. ſi ſatis probabilem cauſam præbet principes abdicandi quiſnam eorum firmo ſtabit pede? Quotus quiſque invenitur adeo ab omni parte inſtructus, ut ſub alio principe Reipubl. non poſſit eſſe melius? An igitur ſtatim fas eſt ad mutationem proclamare illicitam, & deteriorem principem mutare in meliorem? Certè nunquam facienda ſunt mala, ut eveniant bona, quod docet ipſe Ariſt. *5. Eth. c. 1.* nec rectè Calo Johannes Iſaacio, tanquam hebetioris ingenii in jure primogenituræ & ſucceſſionis prætulit Manuelem ſecundo natum, Nicet. 1. *Annal. Calo Ioh.* nec Ariſtobulus probè excuſatum ſe reddidit Pompeio, quod Hircanus deſeruiſſet ſceptra, quibus ſe expertus fuiſſet imparem, cum ſimplicitati ejus per fraudem impoſuiſſet *Joſeph. 14. Antiq c. 2.* Ex eadem enim cauſa violant jus gentium ex qua rebelles ſubditi perrumpunt jus Divinum & naturale. Nam Spartani maluerunt Cleomenis, quamvis impotentis animi, juſtum imperium qualecunque tolerare, quam contra fas & æquum Dorieo prudentiori ſceptra tradere. Herod. *lib. 5.* Ungari vel ex monaſterio retraxerunt, Colomannum Geiſæ filium, & teſtamentum Ladislai, quo rerum ſumma Armo minori natu tradita erat, irritum fecerunt, ne ſub prætextu ſalutis regni cogerentur in jus gentium peccare. Riccius *in Compend. hiſt Reg. Hungar.* Ita nec ſalus Reipubl cui ſimplicior aliquis princeps Dei providentia contigit, per injurias & ſceleratā inobedientiam ſed modis legitimis & à Deo conceſſis, procuranda eſt.

Sed ut ad Henricum VI. redeamus, Abdicationis cauſa & hæc prætexebatur, quod egiſſet contra decreta Parlamenti. At quis ipſum violatorum Parlamentorum accuſabat? Is ſcilicet, qui ulceribus ſca-

tebat, papulas obſervabat alienas: Qui Nemeſin geſtabat in tergo, nævos in alterius facie notabat. Is, qui acta parlamenti majori temeritate cluſerat, ad idem condemnandum crimen prorumpebat, cujus ipſe reus erat, quod leges & JCtorum placita fieri non permittunt. *Judicet*, ait Ambroſius, *ille de alterius errore, qui non habeat in ſeipſo, quod condemnet: Judicet ille, qui non agat eadem, quæ in alio putaverit punienda, ne, dum de alto judicat, in ſe ferat ſententiam. c. judicet in pr. 3. q. 7.* Si enim Henricus deponi potuit, quia actis parlamenti contravenerat, multò minus admitti debuit Eduardus, quia graviori crimine contra eadem egerat. Rex enim parlamento non alligatur, niſi de ſuo arbitrio, & quia melius eſt pro ſalute Reipubl. ut non tantum ex jure Majeſtatis generali, ſed & jure regni Anglicani alibi à nobis deducendo, patet: Ducis verò temeritati nulla ſatis juſta cauſa, qua excuſaretur, prætendi potuit. Præterea decreta, contra quæ peccaſſe arguebatur Henricus, invito per vim & tumultum à novarum rerũ ſtudioſis principibus extorta erant, ideoque ipſo jure nulla, tum quod per metum, cadentem in juſtum virum expreſſa eſſent, tum quod vergerent in præjudicium & detrimentum Majeſtatis Regiæ, quæ negat Pontifex ſervanda, etiamſi juramento firmata ſint, *c. intellecto, de jurej:* vide Vhethamſt: Hall. Stovv. *in Henr. 6. & Eduar. 4.*

5. *Crimina Richardo II. objecta.*

Operæ pretium autem fuerit, poſtquam in Vulgatum errorem incidimus, articulos 33 quos pro abdicatione Richardi II. publicatos refert M. Hall: obiter ad examen & limam revocare, ut appareat, quam injurij ſint ſubditi in principes, quos, poſtquam odiſſe ceperunt, conquiſitis undique criminibus onerant, ut ex quibus ſingulis non poſſent, ex ijs omnibus dignos eos oſtendant privatione regnorum. Primo igitur loco arguitur *clanculum interfeciſſe Ducem Gloceſtrenſem*, quod idem facinus, cæde Guiliorum perpetratum Bucherius in Henrico 3. homicidium vocat & Aſſaſſinatum *libr. 2. c. 6*, quaſi Aſſaſſinatus à legitimo judice committi poſſit in perfidum ſubditum, & certò Majeſtatis damnatum. De Aſſaſſinis egimus *in tract. de conjur:* & oſtendimus *ex Hait. Arm. c.* 24. M. Paul. Ven. *hiſt: Orient: lib. 1. c. 28.* Nicet. *in Annal. Iſaa. lib. 2.* V Vilhel. Neubrig. *lib. 5. hiſt. Angl. c.* 14 Ianvill: *in Lud. S.* Crantz. *lib. 7. Saxon. c. 18.* Sarracenos fuiſſe quoſdam in Chriſtianorum capita conjuratos, quorum nomen non niſi ad eos trahi poteſt, qui pretio per inſidias innocentem trucidant, *c. 1.* ibi Archid: & Ioh. Andr. *de homic. in 6.* quemadmodum ſubornati miniſtri à Burgundo Aurelianum Ducem è medio ſuſtulerunt, & noſtro tempore ſimili perfidia perierũt Henricus 3. & IV. Gallorum

Cædis ducis Gloceſtrenſis.

Quid Aſſaſſinum.

Digitized by Google

Gallorum Reges, Dux Auraniæ, & complures alii. Nihil verò huic ſceleri confine habet, vel Ducis Gloceſtrenſis, vel Guiſiorum cædes, quia Guiſios contra Henricum 3. conſpiraſſe & cũ Catharina Medicæa regia matre, clandeſtina conſilia de revocando regno in ſtirpem Caroli M. ſeu in familiam Lotharingorum, iniiſſe, certis argumentis demonſtrat Cancellarius Navarræus *in diſc. de ſtat. Gall. Henr. III.* quem vehementer laudib. extollit Petre: Matthei *en l' hiſtoire des dern: troubl.* De ducis Gloceſtrenſis rebellione res eò certior erat, quo apertius armis contra Regẽ uſus fuerat, cui tum quidem præ multitudine, cauſæ iniquitati faventium, parcere & vitam condonare coactus fuit, ſed cum non dubiis ſignis iterum contra pueritiam nepotis machinatus fuiſſe argueretur, inq; eam rem Thomas Warvvicenſis teſtis prodiret, non putavit ſecundum ſibi impetum denuò expectandum Rex, ſed melius cenſuit eſſe, prævenire quam præveniri. *Juſtum* autem *hunc metum eſſe* tradit Cic. *1. offic. quando periculum eſt, ne niſi facias, graviora patiaris.* Nec obſtat, quod ſine proceſſu & ſtrepitu clanculum damnati ſint & occiſi, quia in Crimine Majeſtatis fas eſt ita progredi, *Extrav. ad Reprim. Verſ. hac edictali* & ibi Bart. *Paul. 5. ſent. t. 29. § in reum. in fin* imprimis quando motus impendet ſeditionis, & propter perſonæ peccantis vires & conſortium multitudinem formam proceſſus interuptum iri certum eſt. Sic Servilius Hala Melium indicta cauſa obtruncavit, & à Dictatore laudatus eſt. *Liv. lib. 4.* Salomo fratrem Adoniam, miſſo Benaja, occidit, cum ille bonum expectaret de ſponſa reſponſum. *1 Reg. cap. 2.* Quin etiam, deteriori crimine, Eduardus III. patrem, ſeu, ſi id credere malis, Mater ipſius non ſine filii conſenſu: Item Henricus IV. hunc ipſum Richardum & Eduardus IV. Henricum VI. legitimos ſuos reges, ſine omni proceſſu, partim etiam contra datam fidem, innocentes in carceribus necarunt, nec tamen regno propterea abdicati ſunt, ſed partim inter præcipuos Angliæ Reges numerantur.

Licet enim & Henricus III. Guiſiis & Richardus II. Duci Gloceſtrenſi injuriam feciſſet: tamen privata injuria non ſatis ponderis habuiſſet, ad regem, inſtar Tyranni, jure ſuo & vita dejiciendum. Neſcio enim annon æquè graviter peccaverit David, cum innocentem Uriam, & nihil tale cogitantem, quò uxore ejus potiretur, Joabo perfidè mactandum tranſmitteret: *2. Reg. 11*, nec tamen Nathan illi vel ſtirpi illius abjudicat regnum, ſed iram tantum & pœnam divinam denuntiat, ſtuprum uxorum publicum & mortem filij ex adulterio nati. *2 Reg. 12.* Quot animas credis perdidiſſe Theodoſium Theſſalonicæ, cum ad vindican-

dam præfecti unius necem, ſeptem millia innocentum civium & hoſpitum crudeliter trucidari juberet. Ruffin. *lib. 2. c. 18.* Niceph. *lib. 12. c. 40. Theodor. lib. 5. c. 17.* nec tamen Ambroſius, dum ipſum, ut loquitur Otto Friſingenſ. *l b. 6. hiſt. cap. 35. à liminibus Eccleſiæ ſequeſtravit*, ſimul exuit imperio, aut ſubditis ab ejus juriſdictione ſeſe ſubtrahendi anſam & licentiam dedit, quod nec Gregorius 7. aſſirmare auſus fuit *in Epiſt. ad Henr. Epiſc. Met.* licet exemplum Ambroſij pro poteſtate pontificis inconſideratè afferat, *ut in tr. de pot. pontif. cap. ult. oſtendimus.* Annon Severus judicatus fuit neceſſarius princeps, licet ſæpè peccaret contra SCtúm quo cavebatur: *Non licere imperatori, inconſulto ſenatu, occidere Senatorem. Et Imperatorem quidem, ſi Senatori mortem afferret, eumq; cujus opera ad eam uteretur, liberoſq; ipſorum hoſtes Reipubl. futuros.* Xiphil. *ex Dion.* Spart. *in Sev.* Itaque nec cædes Senatorum, quam Joſeph. *19. antiq. c. 1.* maximè exprobrat Cajo, ſufficiens Tyrãnidis conſtitutæ teſtimonium præbet, quia hoſtis unius ordinis aut unius civitatis, aut unius perſonæ, nondum eſt hoſtis totius Reipubl. niſi cum Caligula incipiat univerſo populo unam optare cervicem, ut uno impetu abſcindi queat, aut Senatui edicat, ſe neque civem neque principem amplius cuiquam fore, Sueton. *in Calig. cap. 31.* quò ſpectabant etiam vota Neronis, ſe vivo geſtientis videre terrarum orbem conflagrantem, cum jam fumum incenſæ urbis lætantibus oculis hauſiſſet. Sueton. *in Neron.* Omnia enim machinari in perniciem Reipubl. & rapere omnia in ſuum commodum, id demum eſt Tyrannum eſſe, & qui ſic vivit, abdicari poteſt, non qui in unam atque alteram perſonam ſævit, imprimis ſi ſæviendi juſtam cauſam habeat, ut de Henrico III. Gallor. & Richardo II. Anglor. rege demonſtravimus.

6. Prodigalitas, & tributorum exactio.

2. Secundo loco vitio dabatur Richardo, *quod prodigaliter theſauros regios diſiparet, & bona feudalia concederet indignis.* Idem Ludovvico XI. exprobrarunt Galli, & per rebellionem, quam ſuſceptam videri volebant *pour le bien public*, contra eum inſurgebant. *Adeò*, inquit Ganguin. *lib. 10. cap. 7.* ubi hæc narrat, *ſolers eſt malè errantium cautio, ut boni publici velamen ſuæ nequitiæ prætendant.* Johan. Parvus, *in ſæpius citata orat.* ultimam hanc facit notam Tyrannidis, cujus convincere laborat Aurelianum Ducem. Suetonius exprobrat Cajo, quod pro eduliis, quæ tota urbe venirent, ſtatum certumque exegerit. *in Calig. c. 40.* Zoſimus cum collegiſſet omnia vitia, quibus veriſimiliter poterat, onerare Conſtantinnm M. tandem objicit etiam Chryſargyrum, tanquam ab avaro principe ex proſtibulis, ſcortationibus, aliiſque ſceleribus

exigi

Digitized by Google

exigi ſolitum, quod refutant Evagr. *lib. 3. cap. 41.* Niceph. *lib. 16. cap. 42.* quia quem Zoſimus ipſe præter modum liberalem & magnificum prædicat, qui veriſimile eſt, eum adeò in contraria verſum ad tantas ſordes præ avaritia deſcendiſſe. Exegerunt tamen id genus vectigal multi Chriſtiani Imperatores, uſque dum Anaſtaſius illud edicto tolleret, Evagr. *cap. 39.* Niceph. *cap. 40.* nec tamen propterea à populo Chriſtiano. vel deſerti ſunt, vel armis impediti, nec Baſilium Porphyrogenetum quisquam pro Tyranno habet, licet allelengio ſubditorum bona gravaret. Zonar. *in Baſil.* nec Juſtinianum, cætera quidem bonum, ſed ad extremum hæreticum; & ſæveriſſimum tributorum novorum exactorem. Quin imò cum impatiens onerum populus Conſtantinopolitanus per ſeditionem Hypatium dixiſſet Imperatorem, Tantum abeſt, ut Juſtinianus juſto populi, tanquam ſupremi judicis ſui, furori cedendum putaverit, ut rebellionem potius cæde non tantum Hypatij, qui ſe paſſus fuerat purpura circumdari illegitima, ſed & quadringinta millium civium vindicaverit. Diac. & Zonar. *in Juſtin.* Quod ſi Bellarminus hic arbiter accerſeretur, annon ex eventu juſtam colligeret fuiſſe Juſtiniani vindictam, injuſtam populi rebellionem. Is enim in ſolio ſe confirmavit: hi cum Core, Dathan & Abiron, interierunt. Margareta, Norvvegiæ, Sueciæ & Daniæ regina adeò ſubdita ſibi regna tributis exhauſit, ut non tantum in ſingulos focos florenum, ſed & in conjugia marcam Stokholmenſem, & in ſingulas caudas jumentorum certum numerum imperaret, Joh. Magn. *lib. 21. c. 19.* Nec tamen Dani eam imperio exuere auſi ſunt, perinde ut Chriſtiernum, *Libell. Stat. Dan. de abdic. Chriſt.* aut ut Ungari Matthiam Corvinum deſeruerunt. Bonfin. *Dec. 4. lib. 3. in pr.* Anglia nunquam gravius quaſſata fuit exactionibus, quam ſub Henrico. III. & V. & Eduardo III. qui perpetuis bellis theſauros regios diſſiparant, nec tamen ſubditi ad rebellionem, tanquam ad equum claudi confugerunt, quia nondum didicerant naturales principes contemnere, felicitate eorum deterriti. Veſpaſiani avaritiam excuſat ipſe Sueton. quia exhauſtam accipiebat Rempubl. quam negabat ſtare poſſe, niſi magna pecuniæ vis in parato eſſet. Suet. *in Veſp. c. 16.* Cur igitur non & Richard. II. & Henric. VI. excuſarent ſubditi. cum uterque regnum ſuſciperet longis & ſumtuoſis bellis ad paupertatem redactum: nec tamen vel bella continuare poterant, vel magiſtratibus ſalaria, benè meritis præmia largiri ſacris tributis non illatis, ut ait Juſtin. *cap. ac ſane Nov. 149.* Quod igitur in theſauris dilapidatis non inveniebant, unde ſumere poterant, niſi à

Republ. & ſubditis, cum in ſubditos & Rempubl. impendendum eſſet. Samuel inter Juris Regij quod ſubditis juſſu Dei perferendum exponit, exactiones oneroſas exaggerat, 1. *Sam. 8. & Non poterunt*, ait Brent. *in homil. 27. in 1. Sam. manus contra exigentem levare.* Quineſto: facta ſit injuria ſubditis nimia concuſſione magiſtratuum: non tamen fas eſt provolare ſtatim ad extrema & cruenta remedia, quæ ſint ipſis morbis graviora. Sed quemadmodum ſub Eduardo I. & III. Henrico III. & V. factitatum legimus, obviam eundum fuiſſet juvenili Richardi fervori, ſupplicando, concilia cogendo, inutiles ſumtus præſcindendo, curatores regios adjiciendo, & quibus modis præterea fas eſt ſubditis uti contra principem.

Subditorū in armis exercitatio.

3. Tertio loco objiciebatur Richardo, *quod Lancaſtrenſes & Ceſtrenſes cives in bellum produxiſſet, contra adverſantes ſibi proceres*, quaſi regi non licuiſſet ſubditos obedientes in acie ſiſtere contra rebelles & ſibi injurios; quales erant iſti proceres, qui regium jus non tantum imminutum & ad ſe traductum cupiebant, hoc eſt, Ariſtocratiam in regno malebant, quam Monarchiam, ſed & juventutem Richardi, & pacis magis, quam belli ſtudioſum animum jam diu exoſum habebant. *Quid ſupereſt*, ait Cicer. *contra vim præter vim*, & unicuique fas eſt contra injurias ſe defendere, & ſua tuta facere, nedum Regi, cui legitima in hunc finem à Deo commiſſa eſt poteſtas. Sed quomodo armavit ſubditos in proceres? Docebat eos arma tractare, & ex officio boni cuiuſque principis, exercebat velitationibus bellicis. Hoccine verò eſt in aciem producere cives? hoccine in proceres armare? In quemcunque hoſtem armentur ſubditi, certè ex re non tam Regis eſt, quam Reipubl. ut ſubditi diſcant arma tractare, & qui velitationes bellicas inſtituit in pace, docetque ſubditos meditari arma, in hoſtes expedienda, eum oportet à ſubditis nihil timere, quod proprium Tyrannorū eſt, ſed amore & benevolentia præſupponit reprimi manus, ne verſo impetu arma obvertant ipſi magiſtro, quod docti erant tantùm inferre hoſti.

Damnatio procerū quorundā.

4. *Quod cum publico teſtimonio ducem Gloceſtrenſem & Comitem Arundelium à proditione immunes declaraſſet, nilominus eos, ut proditores damnaſſet.* Sed & hoc teſtimonium favori procerum magis datum erat, quam ex rei veritate, & timore importuniſque oppugnationibus, timido & circumvento Regi, expreſſum. Nec verò proſcribebantur ob primam proditionem, à qua teſtimonio Regis liberati erant, ſed ob iteratam conjurationem, de qua certi teſtes producebantur.

5. *Quod*

5. *Quod multaſſet pecunia eorundem amicos.* Quibus enim liceret regi multare, quos tanquam conſcios conjurationis, aut ſaltem à ſcelere non alienos, quive regi, ut debuiſſent, machinationes amicorum non revelaſſent, ad ſupplicium rapere potuiſſet. Decuit non immunes relinqui à pœna, qui non fuerant immunes à peccato. Quam citò vero, quod hîc objicitur Richardo, tanquam exitiale crimen, Henrico IV. poſt paucos menſes ſummæ laudi vertitur, cum is fautores & amicos Richardi promiſcuè è medio tolleret, & quod magis dolendum fuiſſet, pleroſq; indicta cauſa, quemadmodum olim ſatis erat, ſi quis familiariter uſus fuiſſet Sejano, aut in via cum domeſticis conſtitiſſet. Sed utiliè ait: *Sat annorum habuero, ſi populus Romanus voluerit*: Ita idem nunc jure, nunc injuria factum cenſetur, prout videtur populo Anglico. Et poterat quidem populus Rom. nemini ſubjectus, & jure Majeſtatis præditus, veniam ætatis cuivis contra leges facere: ſed populo ſubjecto & regem ſupra ſe habenti legitimum, fas non erat contortam aliquam cauſam conquirere ad excutiendam obedientiam, quæ non ex pacto aut jure aliquo civili, ut contra illud diſpenſari potuiſſet, ſed ex lege naturæ & divina competebat, nec ab eo, qui jurisdictione deſtituebatur, perrumpi poterat. *Multa irrogatio.*

6. *Quod depoſuiſſet quosdam ab officio, quos conventus Ordinum, ſeu generale Parlamentum inſtituerat.* Quid hoc aliud eſt, quam objicere Regi, quod poteſtate Regia utatur. Cui enim poteſtate regia uti non licet, is rex non eſt, niſi titulotenus. Ad jura autem poteſtatis Regiæ pertinere magiſtratuum & inſtitutionem & abdicationem, quis eſt, qui negare audeat. Sed excipis, ſine conſenſu Senatorum abdicari non potuerunt. Conſenſus ſubditorum à rege requiritur, non ex neceſſitate, ſed ex humanitate & quidē in ijs rebus, quibus ſubditi debita opera contra jus & fas non adverſantur. Nam ubi ſubditi obſtinant juſtis Regis poſtulatis ſeſe præfractarijs auſibus opponere, Majeſtas fruſtra gladium non portat, ſed cœlitus commiſſa ſibi poteſtate pro utilitate Reipubl. ex plenitudine arbitrii decernendi & ordinandi vim habet. Magiſtratus autem illi inſtituti erant in invidiam, odium, & opprobrium Regis, ab eo parlamento, cui rex puer & minorennis, invitus ſubſcribere cogebatur, ideoque multas eos abdicandi cauſas habebat Rex. 1. Ne poteſtatem conſtituendi magiſtratus, ſilentio & conniventia ſua, ad proceres à ſe devolvi pateretur & præſcriptionem prætendendi cauſam ſubditis indulgeret. 2. Quod non teneretur magiſtratus adverſæ factionis ſtudioſos, tanquam ſerpentes in ſinu gerere. 3. Quod, cum

7. Magiſtratuum abdicatio.

Cauſa abdicationis.

adhuc minorennis eſſet Richardus, in ſuum præjudicium, multò minus in decrementum regiæ Majeſtatis à proceribus, qui ſe gerebant pro tutoribus, nihil agi, concedi, aut introduci potuerit, nec conſenſus regis pueri, adulto præjudicare potuit, quia pupilli, ut Monachi, conſenſus habetur pro nullo, etiamſi interponatur in commoda pupilli, niſi ex poſtfacto roboretur. Supergreſſus verò Richardus annum ætatis vigeſimum, publico loco, non ſine Ceremoniis, regni curam quaſi de novo auſpicatus, extra curatorum aut tutorum imperium ſe conſtitutū declaravit, & ex eo momento, cepit regia manu Remp. ſuo arbitrio moderari, quæ contra jus regium à populo & proceribus, hactenus vel conſtituta erant, vel decreta, abrogans, & magiſtratus eodem jure ſibi obductos deponens. Nihil credo in eo peccavit Rex, ſi jus ſuum, ſub prætextu tutelæ, ſibi vel ablatum vel certè imminutum, prudentior ætate factus pro viribus repetere laboraverit. Quod enim injuſtè eripitur, juſtè recuperatur. 4. Nam eo tempore, inde uſq; ab imperio Henrici III. diſputabatur inter Regem & conventus ſtatuum, de diviſione jurium Majeſtatis, cum omnia ad ſe trahere parlamenta contenderent, Reges verò inde à Wilhelmo I uſurpata & legitimè poſſeſſa jura retinere non minori conatu anniterentur. Utrius verò cenſetis, cauſam potiorem, dum lis adhuc fervet & contentio inter partes nondum deciſa eſt vel ſopita: An ejus, qui bono titulo poſſidet, an qui injuriâ ereptum venit? Certè jura civilia etiam Latronem in poſſeſſione defendunt, niſi conſtet apertè de ſpolio. Maximam enim injuriam intulit Gregorius Papa Henrico IV. & Innocentius Friderico II. dum uterq; ab Eccleſia excluſus & à ſceptris gubernaculi ſequeſtratus fuit, propterea, quod ille jus inveſtiendi Epiſcopos, divino & humano jure ab infinita memoria ſibi competens, hic verò poſſeſſiones imperii, contra Tyrannidem, ambitionem & avaritiam Pontificum retinere conaretur. Nec primus Richardus injuriam hanc procerum expertus eſt, & repellere paravit, ſed graviſſimis etiam contentionibus agitatus fuit Henricus III. qui cum aliud profugium ſæpe non reperiret, à ſede Romana ſuppetias emendicatum ivit, nec defuerunt Bullæ Pontificum, quibus iniquas ſubditorum emotiones, in favorem Regis, ſupprimere tentarunt. Et ſi propterea, quod contra Parlamenti decreta, quid præſumſerit vel egerit Rex, à gubernaculo abigi jure poteſt, qua ſingulari fortuna tam impune evaſit Henricus III. imò quo prætextu poterit ipſe Henricus IV. excuſari, quod ut Epiſcopus Carleilienſis in publico conventu ipſi exprobrabat, cum in exilium damnatus eſſet ex decreto Parlamenti,

tamen

Digitized by Google

tamen ſine venia pedem retulerit, non ſine ſuſpitione animi rerũ novarum cupidi, cujus eventus paulò poſt cum pernicie boni Regis apparuit. Si rex, quem conſtituit mos inveteratus, & armis acquiſitum jus ſupra parlamentum, non potuit parlamenti decretis contraria agere, quin regno de parlamenti autoritate & decreto exueretur, qui potuit contra ejuſdem ſententiam ex exilio domum ſe referre ſubditus, nec regis potentiam nec parlamenti autoritatem reveritus? imò, quo facto Rex regnum perdidit, eodem & multò graviori idem ſubditus meritus fuit. Adeò ambulatoria ſunt hominum judicia, & ut venena eadem diverſis ſubjectis nunc obſunt, nunc proſunt; Ita & peccata, quæ alijs internecionem afferunt, alios extollunt ad ſummos honores, prout turbidis & præoccupatis hominum judiciis videtur. 8. *Iterum de exilio Lancaſtrii.*

7. *Quod lege præcluſiſſet Henrico Lancaſtrio reditum, & ea quoque teneri voluiſſet, ſi quis pro eo revocando interceſſiſſet, aut aliter ſe ſollicitum habuiſſet.* Henricus verò, regnum adeptus, excluſo Richardo, legem de Richardo tulit, ejuſdẽ argumenti, ut capitis ſupplicii reus eſſet, ſi quis cõſilium de liberando Richardo inijſſet, eamq; excuſans Archiepiſcopus Cantuarienſis rectè ſancitam dicit propter pacem publicam. Ubi verò eadem ratio, ibi eadem lex. quod per pacem publicam excuſari potuit in Henrico, cur nõ excuſatũ fuit per eandẽ in Richardo? Nam Lancaſtrius qui animi ſui in Regẽ ſatis ſpectata documenta jam dederat, nova, ut ſibi videbatur, injuria magis exaſperatus, procul dubio litẽ moviſſet, nõ tantum adverſario, ſed & regi tanquã judici, & totã Rempubl: à qua ſuo merito exulabat in inteſtina diſſidia conjeciſſet, quæ mala funditus exciſurus Rex, portus illi omnino occludendos cenſuit, idque intuitu publicæ quietis. Sibi verò manus non ligarat, quin exulãti gratiã facere, & propter inobediẽtiã ejectũ, propter obediẽtiã revocare pro ſuo potuiſſet arbitrio.

8. *Quod cum Angli non agnoſcerent ſuperiorem præter Deum, ipſe confugiſſet ad auxilia Pontificis Romani.* Equidem Johannem Regem jure potuiſſe à ſuis deſeri, tradunt Barclaj: *libr. 3. de jure regn. cap. ult. in fin:* Wincet *contr: Buchan*: quando ſecundam cauſam amittendi regni faciunt, ſi Rex Rempubl: ſibi commiſſam abalienet, in ſervitutem alienam, & ſe cum regno ſubijciat extraneæ Majeſtati, quemadmodum Balliolus Scotus ſe ſubmiſit Eduuardo I. Anglo. Ideoque in Johannem dictum fuit à proceribus: Heu *Anglia, princeps provinciarum, facta es, ſub tributo, non ſolum flammæ, fami & ferro, ſed ſervorum ignobilium & advenarum imperio ſubjecta & ſupplantata, cum nihil infelicius, quam ſervorum ſubijci ſervituti. Legimus quod multi alij Reges imò & Reguli uſq; ad* *Refugium ad Papam.*

mortem

mortem pro liberatione terra ſua ſubjecta dimicarunt, ſed tu Johannes lugubris memoria pro futuris ſeculis, ut terra tua, ab antiquo libera, ancillaret, excogitaſti & operam impendiſti: Et ut alios tecum traheres in ſervitutem, quaſi cauda ſerpentina medietatem ſtellarum à firmamento, te ipſum primo depreſſiſti, factus de Rege liberrimo tributarius, firmarius & vaſallus ſervitutis: terrarum nobiliſſimam Chirographo ſervitutis æterna obligaſti, nunquam à compede ſervili liberandam, niſi miſeratus ille, qui toti mundo proſpicit, dignetur quandoque liberare. Matth. Pariſ. *in Ioh.* Cæterum, ſi quis externa imploret auxilia an ille jugum aliquod inducit Reipubl: & libertatem Patriæ prodit, ut, tanquam Tyrannus à malè adminiſtrata provincia arceri poſſit? Franciſcus I. Galliarum Rex vel Turcas ipſos in ſubſidium vocavit contra Carolum V. Imperatorem: Nec tamen Franciam ſubjecit Turcæ aut propterea à ſuis proditoriè abjectus fuit: imò idem & Carolus V. prout res dederant ſeſe, certabant utrinque pari contentione, ut ſubſidium & aſſenſum Papæ in ſuas quiſque partes traherent & promererentur, quia voluntates hominum eò inclinare ſciebant, quo favor Pontificis qui communi errore non credebatur facilè in Electione partis erraturus. Simili conſilio Henricus III. rebus contra proceres pene deſperatis, bullas excivit Roma, ut quos ferro & igne non poſſet, plumbo & Papyro terreret. An igitur perfidiæ aut proditionis propterea unquam accuſatus fuit? an regni ſui libertatem plantis Apoſtolicis, ut Johannes, ſuppoſuit? Certe Pontificiorum, quibus tum temporibus regebatur Anglia, nemo ſalvis articulis fidei id aſſeret, cum ſecundum Canoniſtas, in caſu deſperatæ juſtitiæ, ad Pontificem ſummum unicuique ſe liceat recipere: aut ſaltem Spiritualem eius opem implorare quod ſalva libertate, & ſuo cujuſque jure fieri poſſe, nemo eſt, qui infiças ire poſſit. Nec quicquam præterea à Papa petijt Richardus, quam ut Anathemate feriret rebelles, & immorigeros ſubditos, adeoque bonitati cauſæ ſua acceſſione pondus afferret. Inde verò ſeculari poteſtati præjudicium non creari, vel ex eo patet, quod quivis opinione ſanctitatis conſpicuus Eccleſiæ miniſter, animos ſubditorum in utramque partem movere poſſit, ſine ulla juriſdictione in populum aut Rempubl:

Iterum de exilio Lancaſtrij.

9. *Quod Henricum Lancaſtrium ſine cauſa egiſſet in exilium.* An verò ſine cauſa, cum Lancaſtrius admonitioni & juſſui regis locum dare refugeret, & in gratiam cum adverſario redire nollet. Non poterat enim controverſia aliter dirimi, niſi uterque abiret extra patriam, quam funeſtis cædibus, & ut utrinque denſum trahebant complicium comitatum,

tum,ſeditionibus inceſtaſſent. Uno enim verbo potuiſſet exilii pœnam antevertere Lancaſtrius,ſi in gratiam cum adverſario redire, voluntati Regis cõnſenſiſſet,ſed ipſe maluit exilium præeligere, quam honorem hunc adverſario habere. Sibi igitur imputare habet pœnam, non Regi qui alterutrum vellet,eligendum propoſuerat. Sed & ſi injuriâ actus fuiſſet in exilium,non peccatum fuiſſet à Rege in totam Rempubl: ſed in privatum principem. Peccata autem in privatos non debere abdicatione publica imperii,nedum regicidio puniri, paulò ante diximus, & JCti docent,quando magiſtratui negant etiam notoriè injuriam inferenti licitè reſiſti,ſi damnum non ſit futurum irreparabile, & via pateat ordinaria jus ablatum recuperandi,nedum ut id ſubditis liceat in Regem,ſi ex cauſa aliquem ableget in exilium, quem precibus evictus, vel meliora edoctus,poſt intervallum revocare & amiſſo honori juribuſque reſtituere poſſit.

10. *Quod præfectos quoſdam urbium & caſtrorum, lege electos, abdicaverit.* Quid ſi jure quidem electi, poſtea ſe indignos electione fecerint,aut erga Regem impiarint? Etiam jure acquiſita,jure amittuntur,ſi quis jure ſuo abutatur. Sed magiſtratuum conſtitutionem pertinere ad jus Regium jam ſupra pluribus probavimus, quæ idcirco regi, ſine ſumma injuria & diminutione Majeſtatis abjudicari non potuit. *Abdicatio præfectorũ.*

11. *Quod ære alieno gravatus nemini ſolveret.* Unde verò ſolveret,poſtquã reditus & ſubſidia,quæ ſperare in Anglia rex habet,ex vectigalibus & tributis,pertinax ſubditorũ rebellio negarat. Seipſos potius accuſare debuiſſet proceres,quod debita ſibi ſolvi vellent,nec unde ſolvi poſſent & deberent,tributa ſacra,ut iterum cũ Juſtiniano loquar,aut vectigalia inferri paterentur. At quantillum hoc quæſo, ad rem tanti præjudicii aſtruendam? Debet. Ergo eſt Tyrannus, aut ab hæreditario regno deturbandus.Si Henrici & Eduardi,utriuſque nominis ejus tertii,debita, ad calculos revocata,cum hujus in ſtatera appenderis,tantò illa graviora deprehendes, quantò in militiam & Dominia externa plus coacti fuerunt prodigere. At his opprobrij loco, nedum pro crimine nefario, & ad abdicandum à regno ſufficienti, id nunquam à ſubditis improperatum fuit: Quin potius conſilio & auxilio, quantum in quoque fuit, fidem principum liberare niſi ſunt,quod potius hoc quoque in caſu facere debuiſſent proceres, qui Senatores regni & Conſiliarij regis audiunt,quam abrupto curſu in regiam coronam involare & in ſolutionem debitorum eam deripere. Potuiſſet enim hoc malum remedio alio multò mitiori corrigi, quemadmodum Franciſcus I. ab Henrico 8. *Æs alienũ.*

 commo-

Digitized by Google

commodatò accepit pecuniam ad redimendos liberos, nec refugerunt ſubditi bona & poſſeſſiones ſuas creditori pro Regis fide oppignorare.

Tributorũ exactio, & dilapidatio.

12. *Quod tributa multa indixerit, & extortam pecuniam in res nihili prodigeret.* Magnum verò hoc & extremo ſtatim ſupplicio puniendum. Quis annus Henrici IV. caruit nova exactione? Ipſa etiam Eccleſiarum bona, cum publica & Regia prodegiſſet, diripere cepit, nec tamen neceſſariis bellis, in quæ regni divitias profundere potuiſſet, implicitus fuit. Walſingh: *in 6. anno regn:* Henr. 4. Plus igitur peccavit, quàm Richardus, & tamen Minores fures penduntur, Majores in triumphis feruntur. Sumtus faciebat Richardus paulò liberalius. Atqui Regem ſe meminerat, & juvenili impetu ferebatur, qui cum tempore deferbuiſſet, aut autoritate principum ſupprimi & in melius demutari debuiſſet potius, quam tanta cum injuria vindicari. Prodigum non privant jura Dominio rerum ſuarum, ſed curatorem inſanienti animo adijciunt, qui tam diu in medium conſulat, donec is rerum ſuarum curam cum parſimonia gerere diſcat.

Summa poteſtas.

13. *Quod leges in ſuo capite & pectore eſſe diceret,* id quod Cajo quoque objicit Joſeph: *lib.19. antiq: c. 2.* Qui minus, quam Pontifex. *c. propoſuit de conc: præb. & Eccl. cum ſimil:* aut Imperator leges in ſcrinio ſe condere dicit, *l.omnium. C. de teſtam*: legem animatam ſe hominibus in terra conſtituens. *Nov. 165. in fin*: Speculat. *de ſer:* §. 1 & *in lib. 2. de jur. Maj.* oſtendimus. Regem non eſſe, qui legum civilium in ſua Republ: Dominus non ſit aut arbiter. Nec enim parlamenta eo tempore vim condendarum legum ad ſe traxerant, ſed trahere conabantur, quorum conatibus, in ſubſidium Regiæ Majeſtatis, obviã ire, & jus ſuum, à majoribus per manus traditum & acceptum, ſartum tectum ſibi reſervare, omni jure poterat Richardus, imò ad id ex officio Regis obligatur, & ne deterius imperium relinqueret poſteris, quam ipſe à Majoribus accepiſſet.

De eodem.

14. *Quod leges in Parlamento latas acceptare negaret*, id eſt, quod ſubditorum imperio regiam Majeſtatem ſubijcere nollet. Superior enim eſt, qui leges ferre poteſt, cum legum virtus ſit nolentem cogere. Legum igitur condendarum poteſtatem aſcribere ſubditis, quid eſt, niſi imperium ijsdem in manus tradere, & Monarchiam detrahere in dominatum paucorum. Nihil igitur ab Anteceſſorum factis alienum fecit Richardus, quando exemplo Henrici III. & Eduardi I. parlamentorum decreta contra placitum ſuum perlata, legum loco, haberi, & ſe illis conſtringi, pati non potuit.

15. *Quod*

Digitized by Google

15. *Quod frequenter in ſingulos ſæpe annos, nonnunquam in biennium, præfectos urbium*, Schiriffes vocant ipſi, *mutaret.* Ergo & hoc inter Tyranni notas refertur, ſi ambulatorios princeps malit conſtituere magiſtratus, quam perpetuos. Tyrannicè igitur Tiberius, qui tempus honorem capeſſendi contraxit, quod perpetuitate ſuperbire magiſtratus animadvertiſſet. Tac. 2. *Annal.* Tyrannicè Claudius, qui vetuit magiſtratus, vertente anno, cum legatione manere in provincia, ne magiſtratuum continuatione tempus reddendarum rationum eluderetur. Dion. *in Claud.* Tyrannicè Romani, qui breviſſimo tempore & Dictaturam & Cenſuram circumſcripſerunt, ut quibus poteſtatis non poterat, temporis modus poneretur. Cæterum Richardus nihil potuit facere minus Tyrannicum. Nam & ſibi conſuluit, ne magiſtratum aliquem longitudine temporis inſoleſcentem, in caput ſuum enutriret, & Reipubl: ut pluribus aditum ad publica officia & lucroſa apperiret, & præfectis pingueſcendi è bonis ſubditorum occaſionem præſcinderet. *Magiſtratuum mutatio.*

16. *Quod præter nobiles & cives, alijs quoque in conventibus & officijs publicis locum daret.* Itane Romani indignè & Tyrannicè, Numam & Tarquinium peregrinos, non tantum in primum civitatis locum, ſed & ſedem regiam receperunt, & improbè Harmodij conſilio uſi ſunt in deſcribendis legibus Græcorum. Joſephus dominabatur toti Ægypto, ubi peregrinus erat, Daniel apud Nabuchdonoſorem, Eſther & Mardochæus apud Aſverum. Caſimirus M. Polonorum rex etiam Judæos inter intimos Senatores aſſcripſit, & Johannes Albertus habebat in delitijs Callimachum Italum. Cromer. *lib. 10.* Nemo tamen ex hoc in peregrinum quempiam impenſo favore, Tyrannidis quenquam arguere audeat, cum aliud ſit peregrinos in contemtum & odium civium omnia adminiſtrare ad deprimenda commoda inquilinorum, ut Carolus Andegavenſis in Sicilia, Mammeluci in Ægypto, Franciſcus Delphinus in Scotia quod ad Tyrannidem quam propè accedit: aliud peregrinis quoque Reipubl: fores prorſus non obſerare, ſivè propter bene merita digni ſint, quorum ratio in Republ: habeatur, ſive propter ingeniorum bonitatem & excellentiam artium, plurimum Reipubl: videntur auxilij allaturi. *Peregrinorum promotio.*

17. *Quod ſpeculatores aleret, qui populi dicta ſibi referrent.* Sollicitus fuit Rex de vita & ſalute, cui inſidias locari non ignorabat. Leges verò & illi ignoſcunt, qui quocunque modo ſe ſalvum præſtare voluerit. Speculatores verò emittere nulla prohibet religio, quos licet in publicis *Speculatorum delatio*

negotiis improbent imperatores, *l. ſing. 14. C. de accuſat.* propter periculum, quod innocentiæ inde creatur, tamen in multis Rebuſp: adhuc hodie præmiis con lucuntur. & Darius & Hieronymus Syracuſarum Rex licet à Tyrannide vehementer alieni, eorum opera animos & ſermones ſubd totum explorarunt. Quod igitur Richardus dicta ſubditorum per ſpeculatores ſublegerit, Tyrannicum non eſt, modò ex nuda illorum delatione inſtar Valentis Imp: in notos juxta & ignotos, nocentes & innocentes, ſine diſcrimine non ſævierit, quod ipſi quidem in mentem nunquam venit.

Tributi exactio ab Eccleſia.

18. *Quod tributum exegiſſet ab Eccleſiaſticis.* Nimirum, ut Manuel Comnenus Imp poterat ſe jure divino tueri, quia, ut ait Ambroſ: *Tributum Cæſaris eſt: petenti non negatur*, & Hugo de S. Victore: *Nunquam poſſeßiones à Regia poteſtate ita elongari poſſunt, quin ſi ratio poſtulaverit & neceßitas, & illis ipſa poteſtas debeat patrocinium, & illis ipſæ poſſeßiones debeant in neceßitate obſequium.* Sed non ea mens, non is animus Richardo, qui ad expeditionem extraordinariam in Hiberniam ab Eccleſiis exigebat, quod & à priſca memoria in Anglia, & in univerſa Chriſtianorum ditione conferre obligati erant, ut *in tract. de Exempt. Cleri c. 4. num. 1.* pluribus probavimus. Carolus M. ad regalis numinis expeditionem, etiam angarias & parangarias ab Eccleſiis exegit: Otto I. & Fridericus I. quod fodrum Saxonico nomine dicunt: Franciſcus I. ſubſidium imperavit Clericis, cum exhauſtum eſſet ærarium continuis bellis contra Carolum V. Imò licentius graſſatus eſt Henricus IV. in bona temporalia Clericorum, ac parum abfuit quin ad exemplum Nicephori, poſſeſſionibus eos prorſus multaret, quod etiam auditum erat ex ore Henrici V. Unde Archiepiſcopus Cantuar: timens, ne minas in effectum deduceret, cogitationes ejus aliò ſibi avertendas putavit, eoque fine non deſtitit audacem & magna moliturum animum ad repetendum bellum Gallicum, cum magna Chriſtiani populi pernitie, propellere.

Autoritatis defenſio.

19. *Quod non pateretur, ut ſibi obloquerentur proceres,* nimirum Verbis objurgatoriis, quemadmodum Dux Gloceſtrenſis, nimis pro imperio, facere conſueverat, quem idcirco fratres quoque reprehendebant, quod immodeſtius, quam ſubditum deceret, Regi ſeſe opponeret. Nam & Ptolomæus Ariſtomenem præceptorem, & Alexander M. Clitum è medio ſuſtulerunt, quod acrius, quam ipſos decuiſſet, & quidem non ſine ignominiæ publicæ ſuſpitione, Reges ſuos increpaſſent. Richardus autem tantum judicio oſtendit, ſe Regem eſſe, & jurgia ſubditorum pro conſiliis audire noluit.

Regiorum theſaurorũ abalienatio.

20. *Quod theſauros regios ſine conſenſu parlamenti abduxiſſet in Hiberniam.* Quomodo ſine conſenſu? Conſenſerant proceres in bellum, & conſequenter in ſumtus bellicos, quia bellum ſine ſumtu expediri nequit. Fac autem ſine conſenſu abductos theſauros. Atqui abducebantur non in fraudem, ſed in ſalutem Reipubl: & in ijs, quæ vergunt ad commoda Reipubl: conſilium Regis, quantumvis privatum, reprehendi non poteſt.

Sophiſtica ſcriptio.

21. *Quod obſcurè & Sophiſticè, ſive Romam, ſive aliò ſcriberet.* Quid potuit futilius objici ad evincendam Tyrannidem. *Argutias in literis quærere, non eſſe principum, ſed Advocatorum*, dicebat Mauritius Elector, cum Carolus V. æquivocationem captaret in duabus voculis. Quin etiam, quod Romam ſcripſerit ſophiſticè, & pontifici imponere voluerit, ex eo articulo ipſi laudi verti debuit, quo accuſabatur nimium tribuiſſe pontifici. Non enim nimium tribuit, qui callidè illudit.

Sophiſtica leges, & juramenta.

22. *Quod nova & ſophiſtica juramenta à ſubditis exigeret, eosq; cogeret jurare in leges nondum viſas* ſicut Claudius edicta ſua proponere ſolebat tam exiliter & obſcure ſcriptas, ut, cum accuratè legi non poſſent, facilius in eas peccaretur. At quæ ſunt illæ leges, in quas nondum viſas coacti fuerant jurare ſubditi? quænam illa juramenta Sophiſtica? Evidentem enim oportet eſſe probationem contra Regem, pro quo ſemper præſumitur. Et cuinã ex ſubditis nocuiſſet dementia Regis, niſi ſibiipſi, ſi ſe ſalvum fore putaſſet ijs juramentis, à quorum obſervatione excuſati potuiſſent reddi ſubditi, propter ſolam ignorantiam. Impune enim ignorat, in cujus poteſtate non eſt, ut ſciat.

Poteſtas abſoluta.

23. *Quod diceret vitas & bona ſubditorum eſſe in ſua manu.* Regiè, quia ſi paterfamilias olim bona & vitas liberorum atq; adeo etiam uxorum habuit in ſua manu, pro quo jure reducendo multa diſputat Bodin: 1. *de Rep*: multò magis Regi competit jus vitæ & necis in ſuos ſubditos. Nam ſi Regi non competit, (competere autem alicui in Republ: debet) cuinam competeret, cum in Regno ſolus rex rerum & jurium Majeſtatis potiatur? Adeò plerumque accuſatur Richardus, quod regiam poteſtatem integram ſibi contra affectatas injurias procerum vindicare & reſervare niſus fuerit, quemadmodum & Bucherius invehitur in Henricum 2. Gallum, quod dixerit: *Meus clerus, meus populus.* Quantò juſtius idem torqueret argumentum ſuum contra Carolum M. & Ludovvicum Pium, quia tam populum, quam clerum, ita ſuum putarunt, ut de ijs non dubitaverint teſtamentis cavere & diſponere, quod de re aliena ipſis nunquam licuiſſet.

Legum violatio.

24. *Quod contra chartam Magnam, juberet ſenes pugnare cum juvenibus in caſibus, qui niſi Monomachia, decidi non poterant.* De Monomachia nihil objicitur, quam & charta magna permittit, ſed, quod hanc ſiverit inire juvenes contra ſenes. Coegit certè neminem, ſed ſivit fortunam experiri, qui vellent. Non igitur ipſe peccavit contra chartam Magnã, quæ vetat præcipitare Senes in duellum contra juvenes, ſed ipſi Monomachi, qui cum ſuis viribus tantùm tribuerint, nec Dares reformidaret vires Entelli, per conniventiam Regis, manus conferre maluerunt, quam honeſtis pacis conditionibus acquieſcere. Et quis eſt ex omnibus Regibus, qui poſt natam chartam Magnam vel de Forreſta, omnes ejus Articulos obſervarit ad unguem? Multi ſæpe utramque abrogarunt, quibus ſupplicando obviam iverunt proceres, quod & hic facere debuiſſent, nec dubium, quin mobilem juvenis animum facilè, in quamcunque partem voluiſſent, flexiſſent.

Poteſtas abſoluta iterum.

25. *Quod, cum negaret Cancellarius ſibi commiſſum ſigillum Regi commodare, Rex conceſſioni privatum ſuum ſigillum appreſſiſſet.* Neque enim Cancellarius regi legem dare poterat, aut manus ligare, quippe cum ſigillum haberet non ad ſuum, ſed ad regis arbitrium adhibendum. Senator quippe erat Cancellarius non Imperator conſilium dare poterat, juſſum perferre non poterat. Juſſus quippe à ſenatu non expectatur, ſed conſilium.

De exilio Archiepiſcopi Cantuarienſis.

26. *Quod Archiepiſcopum Cantuarienſem egiſſet in exilium ſine cauſa.* Conſpiratio ſcilicet contra regiam Majeſtatem ſatis cauſæ non eſt ad exilium indicendum, cum ſatis fuiſſet, ad ſupplicium capitis inferendũ? Conſpiratio autem multis indicijs deprehenſa patebat, tũ quod Arundelio fratri contra Regem perpetuò patrocinaretur, quod ſeditionem principum concionibus urgeret & juſtam diceret, quod veniam læſæ majeſtatis fratri convicto indulgendam publicis literis à Rege expreſſiſſet, in quo Rex ſe ſubdolè ſupplantatum ſerò deprehendebat. Fac autem Archiepiſcopum ſine cauſa iviſſe in exilium, an privata injuria publica regis cæde vindicari ſtatim debuit, imprimis cum damnũ non immineret, niſi reparabile. Anſelmus à Wilhelmo Ruffo, Thomas Becketus ab Henrico in exilium actus, & poſt reditum, connivente ad minimum, ut videtur, Rege, in ipſo templo Cantuarienſi miſerè trucidatus eſt; nec tamen eò audaciæ progreſſa erat ambitio popularis, ut quamvis adjuta ope externa, & exufflata flabellis Romanorum pontificum, ultra Chriſtum Domini exurgere, & quam impoſuerat, coronam detrahere auderet. Sed, ſi quid peccatum à rege eſſet, Domino tanquam ſupremo

mo Regum vindici,ulciſcendum reliquerunt: ipſi ſe ſubditos meminerunt, & ſine ſacrilegio excutere non poſſe, quem Dominus dominorum,à ſe inſtitutum, placidè ferret.

27. *Quod Archiepiſcoporum damnaſſet, indicta cauſa.* Evidentia facti non indiget clamore accuſantis vel defendentis, imprimis, quando impendet metu ſeditionis. Nam ſi in publicum concilium produxiſſet reum,qui & lingua pollebat,& gratia valebat apud populum & cauſam fovebat plauſibilem, libertatis amico pallio obductam, facilè imprudenti vulgo glaucoma ob oculos objeciſſet,& vel injuſtiſſimæ cauſæ ſpectatum obtendiſſet prætextum, quemadmodum & Eſſexius omnium animos in ſe convertit,& à colloquio Reginæ callidè ſubmovebatur,ne ſui intuitu & memoria præteritæ converſationis, & morum corporisque elegantia, & flexamini loquela, animum ejus à ſententia deflecteret,& veniam peccati,cum pernitie totius Curiæ,impetraret.

28. *Quod Archiepiſcopi bona ſucceſſori donaſſet, modò in leges Regis jurare*: Quidnam in hoc articulo peccavit Rex,an quod bona Archiepiſcopi in ſucceſſorem tráſtulerit,an quod in leges ſuas adegerit ſucceſſorem? Cui potuiſſet propter conjurationis conſcientiam auferre vitam, qui non potuerit bona? Bona verò caduca aut indigno ablata, cum jam vindicata eſſent fiſco,annon potuit transferre, in quem voluerit? Aut quid id peccati eſt: Magiſtratum & ſubditum non acceptare, niſi juratum in leges? Juſtinianus exigit juramentum ab omnibus judicibus, & Romani non ſinebāt injuratum magiſtratum in provincia verſari,præter paucos dies. *Solo* quippe *juramento*, ait Symmachus, *Inclyti principes tuti ſunt*, & magiſtratus obligantur ad obedientiam & diligentiam.

Hi ſunt articuli,junctis quinq; aliis, qui ad Eccleſiam ſpectant,ob quos Angli abdicarunt Richardum II. Quis jam principum vivit adeò circumſpectus, adeò perfectus, & populi obſervans, quem non tranſverſum rapiat,vel neceſſitas,vel pertinacia ſubditorum,vel humana imbecillitas,& in unum aliquem ex his ſcopulis præcipitem ferat. Nullus regum in Anglia inde à primordiis Wilhelmi Conquæſtoris habenas tā feliciter moderatus eſt, cur non aut paria, aut, penè dicam, majora impingi crimina poſſint, ſi omnes eorum actiones ad limam revocare velimus,& ad calculos officii regii. Abſit autem uno ſtylo propterea omnes Reges perfodiendos putemus, & ad ordinem Tyrannorū redigamus,ac ſi privilegia Regum perdantur malè utendo. Cum Tiridates videret Corbolonem, res Neronis, quamvis mali principis, benè & feliciter gerentem, *O quam bonum ſervus, inquit, quam mali principis. Dion.l.63.*

9. Vitia leviora non ſufficiunt ad Regem abdicandum.

dam præfecti unius necem, ſeptem millia innocentum civium & hoſpitum crudeliter trucidari juberet. Ruffin. *lib.2.c.18.* Niceph. *lib. 12. c. 40. Theodor. lib.5.c.17.* nec tamen Ambroſius, dum ipſum, ut loquitur Otto Friſingenſ. *l b. 6. hiſt. cap. 35. à liminibus Eccleſiæ ſequeſtravit*, ſimul exuit imperio, aut ſubditis ab ejus jurisdictione ſeſe ſubtrahendi anſam & licentiam dedit, quod nec Gregorius 7. affirmare auſus fuit *in Epiſt. ad Henr. Epiſc. Met.* licet exemplum Ambroſij pro poteſtate pontificis inconſideratè afferat, *ut in tr. de pot. pontif. cap. ult. oſtendimus.* Annon Severus judicatus fuit neceſſarius princeps, licet ſæpè peccaret contra SCtum, quo cavebatur: *Non licere imperatori, inconſulto ſenatu, occidere Senatorem. Et Imperatorem quidem, ſi Senatori mortem afferret, eumq; cujus opera ad eam uteretur, liberoſq; ipſorum hoſtes Reipubl. futuros.* Xiphil. *ex Dion.* Spart. *in Sev.* Itaque nec cædes Senatorum, quam Joſeph. *19. antiq. c.1.* maximè exprobrat Cajo, ſufficiens Tyrãnidis conſtitutæ teſtimonium præbet, quia hoſtis unius ordinis aut unius civitatis, aut unius perſonæ, nondum eſt hoſtis totius Reipubl. niſi cum Caligula incipiat univerſo populo unam optare cervicem, ut uno impetu abſcindi queat, aut Senatui edicat, ſe neque civem neque principem amplius cuiquam fore, Sueton. *in Calig. cap.31.* quò ſpectabant etiam vota Neronis, ſe vivo geſtientis videre terrarum orbem conflagrantem, cum jam fumum incenſæ urbis lætantibus oculis hauſiſſet. Sueton. *in Neron.* Omnia enim machinari in perniciem Reipubl. & rapere omnia in ſuum commodum, id demum eſt Tyrannum eſſe, & qui ſic vivit, abdicari poteſt, non qui in unam atque alteram perſonam ſævit, imprimis ſi ſæviendi juſtam cauſam habeat, ut de Henrico III. Gallor. & Richardo II. Anglor. rege demonſtravimus.

6. Prodigalitas, & tributorum exactio.

2. Secundo loco vitio dabatur Richardo, *quod prodigaliter theſauros regios diſſiparet, & bona feudalia concederet indignis.* Idem Ludovvico XI. exprobrarunt Galli, & per rebellionem, quam ſuſceptam videri volebant *pour le bien public*, contra eum inſurgebant. *Adeò*, inquit Ganguin. *lib.10.cap.7.* ubi hæc narrat, *ſolers eſt malè errantium cautio, ut boni publici velamen ſuæ nequitiæ prætendant.* Johan. Parvus, *in ſepius citata orat.* ultimam hanc facit notam Tyrannidis, cujus convincere laborat Aurelianum Ducem. Suetonius exprobrat Cajo, quod pro eduliis, quæ tota urbe venirent, ſtatum certumque exegerit. *in Calig. c. 40.* Zoſimus cum collegiſſet omnia vitia, quibus veriſimiliter poterat, onerare Conſtantinum M. tandem objicit etiam Chryſargyrum, tanquam ab avaro principe ex proſtibulis, ſcortationibus, aliiſque ſceleribus

exigi

Digitized by Google

exigi ſolitum, quod refutant Evagr. *lib. 3. cap. 41.* Niceph. *lib. 16. cap. 42.* quia quem Zoſimus ipſe præter modum liberalem & magnificum prædicat, qui veriſimile eſt, eum adeò in contraria verſum ad tantas ſordes præ avaritia deſcendiſſe. Exegerunt tamen id genus vectigal multi Chriſtiani Imperatores, uſque dum Anaſtaſius illud edicto tolleret, Evagr. *cap. 39.* Niceph. *cap. 40.* nec tamen propterea à populo Chriſtiano. vel deſerti ſunt, vel armis impediti, nec Baſilium Porphyrogenetum quiſquam pro Tyranno habet, licet allelengio ſubditorum bona gravaret. Zonar. *in Baſil.* nec Juſtinianum, cætera quidem bonum, ſed ad extremum hæreticum, & ſæviſſimum tributorum novorum exactorem. Quin imò cum impatiens onerum populus Conſtantinopolitanus per ſeditionem Hypatium dixiſſet Imperatorem. Tantum abeſt, ut Juſtinianus juſto populi, tanquam ſupremi judicis ſui, furori cedendum putaverit, ut rebellionem potius cæde non tantum Hypatij, qui ſe paſſus fuerat purpura circumdari illegitima, ſed & quadringinta millium civium vindicaverit. Diac. & Zonar. *in Juſtin.* Quod ſi Bellarminus hic arbiter accerſeretur, annon ex eventu juſtam colligeret fuiſſe Juſtiniani vindictam, injuſtam populi rebellionem. Is enim in ſolio ſe confirmavit: hi cum Core, Dathan & Abiron, interierunt. Margareta, Norvvegiæ, Sueciæ & Daniæ regina adeò ſubdita ſibi regna tributis exhauſit, ut non tantum in ſingulos focos florenum, ſed & in conjugia marcam Stokholmenſem, & in ſingulas caudas jumentorum certum numerum imperaret, Joh. Magn. *lib. 21. c. 19.* Nec tamen Dani eam imperio exuere auſi ſunt, perinde ut Chriſtiernum, *Libell. Stat. Dan. de abdic. Chriſt.* aut ut Ungari Matthiam Corvinum deſeruerunt. Bonfin. *Dec. 4. lib. 3. in pr.* Anglia nunquam gravius quaſſata fuit exactionibus, quam ſub Henrico. III. & V. & Eduardo III. qui perpetuis bellis theſauros regios diſſiparant, nec tamen ſubditi ad rebellionem, tanquam ad equum claudi confugerunt, quia nondum didicerant naturales principes contemnere, felicitate eorum deterriti. Veſpaſiani avaritiam excuſat ipſe Sueton. quia exhauſtam accipiebat Rempubl. quam negabat ſtare poſſe, niſi magna pecuniæ vis in parato eſſet. Suet. *in Veſp. c. 16.* Cur igitur non & Richard. II. & Henric. VI. excuſarent ſubditi, cum uterque regnum ſuſciperet longis & ſumtuoſis bellis ad paupertatem redactum: nec tamen vel bella continuare poterant, vel magiſtratibus ſalaria, benè meritis præmia largiri ſacris tributis non illatis, ut ait Juſtin. *cap. ac ſane Nov. 149.* Quod igitur in theſauris dilapidatis non inveniebant, unde ſumere poterant, niſi à

Digitized by Google

Republ. & ſubditis, cum in ſubditos & Rempubl. impendendum eſſet. Samuel inter Juris Regij quod ſubditis juſſu Dei perferendum exponit, exactiones oneroſas exaggerat, 1. *Sam.* 8. & *Non poterunt*, ait Brent. *in homil.* 17. *in* 1. *Sam. manus contra exigentem levare.* Quin eſto: facta ſit injuria ſubditis nimia concuſſione magiſtratuum: non tamen fas eſt provolare ſtatim ad extrema & cruenta remedia, quæ ſint ipſis morbis graviora. Sed quemadmodum ſub Eduardo I. & III. Henrico III. & V. factitatum legimus, obviam eundum fuiſſet juvenili Richardi fervori, ſupplicando, concilia cogendo, inutiles ſumtus præſcindendo, curatores regios adjiciendo, & quibus modis præterea fas eſt ſubditis uti contra principem.

Subditorũ in armis exercitatio. 3. Tertio loco objiciebatur Richardo, *quod Lancaſtrenſes & Ceſtrenſes cives in bellum produxiſſet, contra adverſantes ſibi proceres*, quaſi regi non licuiſſet ſubditos obedientes in acie ſiſtere contra rebelles & ſibi injurios, quales erant iſti proceres, qui regium jus non tantum imminutum & ad ſe traductum cupiebant, hoc eſt, Ariſtocratiam in regno malebant, quam Monarchiam, ſed & juventutem Richardi, & pacis magis, quam belli ſtudioſum animum jam diu exoſum habebant. *Quid ſupereſt*, ait Cicer. *contra vim præter vim*, & unicuique fas eſt contra injurias ſe defendere, & ſua tuta facere, nedum Regi, cui legitima in hunc finem à Deo commiſſa eſt poteſtas. Sed quomodo armavit ſubditos in proceres? Docebat eos arma tractare, & ex officio boni cuiuſque principis, exercebat velitationibus bellicis. Hoccine verò eſt in aciem producere cives? hoccine in proceres armare? In quemcunque hoſtem armentur ſubditi, certè ex re non tam Regis eſt, quam Reipubl. ut ſubditi diſcant arma tractare, & qui velitationes bellicas inſtituit in pace, docetque ſubditos meditari arma, in hoſtes expedienda, eum oportet à ſubditis nihil timere, quod proprium Tyrannorũ eſt, ſed amore & benevolentia præſupponit reprimi manus, ne verſo impetu arma obvertant ipſi magiſtro, quod docti erant tantùm inferre hoſti.

Damnatio procerum quorundã. 4. *Quod cum publico teſtimonio ducem Gloceſtrenſem & Comitem Arundelium à proditione immunes declaraſſet, nilominus eos, ut proditores damnaſſet.* Sed & hoc teſtimonium favori procerum magis datum erat, quam ex rei veritate, & timore importuniſque oppugnationibus, timido & circumvento Regi, expreſſum. Nec verò proſcribebantur ob primam proditionem à qua teſtimonio Regis liberati erant, ſed ob iteratam conjurationem, de qua certi teſtes producebantur.

5. Quod

5. *Quod multaſſet pecunia eorundem amicos.* Quidni enim liceret regi multare, quos tanquam conſcios conjurationis, aut ſaltem à ſcelere non alienos, quive regi, ut debuiſſent, machinationes amicorum non revelaſſent, ad ſupplicium rapere potuiſſet. Decuit non immunes relinqui à pœna, qui non fuerant immunes à peccato. Quam citò vero, quod hîc objicitur Richardo, tanquam exitiale crimen, Henrico IV. poſt paucos menſes ſummæ laudi vertitur, cum is fautores & amicos Richardi promiſcuè è medio tolleret, & quod magis dolendum fuiſſet, pleroſq; indicta cauſa, quemadmodum olim ſatis erat, ſi quis familiariter uſus fuiſſet Sejano, aut in via cum domeſticis conſtitiſſet. Sed utille ait: *Sat annorum habuero, ſi populus Romanus voluerit*: Ita idem nunc jure, nunc injuria factum cenſetur, prout videtur populo Anglico. Et poterat quidem populus Rom. nemini ſubjectus, & jure Majeſtatis præditus, veniam ætatis cuivis contra leges facere: ſed populo ſubjecto & regem ſupra ſe habenti legitimum, fas non erat contortam aliquam cauſam conquirere ad excutiendam obedientiam, quæ non ex pacto, aut jure aliquo civili, ut contra illud diſpenſari potuiſſet, ſed ex lege naturæ & divina competebat, nec ab eo, qui jurisdictione deſtituebatur, perrumpi poterat. *Multa irrogatio.*

6. *Quod depoſuiſſet quosdam ab officio, quos conventus Ordinum, ſeu generale Parlamentum inſtituerat.* Quid hoc aliud eſt, quam objicere Regi, quod poteſtate Regia utatur. Cui enim poteſtate regia uti non licet, is rex non eſt, niſi titulotenus. Ad jura autem poteſtatis Regiæ pertinere magiſtratuum & inſtitutionem & abdicationem, quis eſt, qui negare audeat. Sed excipis, ſine conſenſu Senatorum abdicari non potuerunt. Conſenſus ſubditorum à rege requiritur, non ex neceſſitate, ſed ex humanitate & quidem in ijs rebus, quibus ſubditi debita opera contra jus & fas non adverſantur. Nam ubi ſubditi obſtinant juſtis Regis poſtulatis ſeſe præfractarijs auſibus opponere, Majeſtas fruſtra gladium non portat, ſed cœlitus commiſſa ſibi poteſtate pro utilitate Reipubl. ex plenitudine arbitrii decernendi & ordinandi vim habet. Magiſtratus autem illi inſtituti erant in invidiam, odium, & opprobrium Regis, ab eo parlamento, cui rex puer & minorennis, invitus ſubſcribere cogebatur, ideoque multas eos abdicandi cauſas habebat Rex. 1. Ne poteſtatem conſtituendi magiſtratus, ſilentio & conniventia ſua, ad proceres à ſe devolvi pateretur & præſcriptionem prætendendi cauſam ſubditis indulgeret. 2. Quod non teneretur magiſtratus adverſæ factionis ſtudioſos, tanquam ſerpentes in ſinu gerere. 3. Quod, cum

7. *Magiſtratuum abdicatio.*

Cauſa abdicationis.

 adhuc

adhuc minorennis eſſet Richardus, in ſuum præjudicium, multò minus in decrementum regiæ Majeſtatis à proceribus, qui ſe gerebant pro tutoribus, nihil agi, concedi, aut introduci potuerit, nec conſenſus regis pueri, adulto præjudicare potuit, quia pupilli, ut Monachi, conſenſus habetur pro nullo, etiamſi interponatur in commoda pupilli, niſi ex poſtfacto roboretur. Supergreſſus verò Richardus annum ætatis vigeſimum, publico loco, non ſine Ceremoniis, regni curam quaſi de novo auſpicatus, extra curatorum aut tutorum imperium ſe conſtitutũ declaravit, & ex eo momento, cepit regia manu Remp. ſuo arbitrio moderari, quæ contra jus regium à populo & proceribus, hactenus vel conſtituta erant, vel decreta, abrogans, & magiſtratus eodem jure ſibi obductos deponens. Nihil credo in eo peccavit Rex, ſi jus ſuum, ſub prætextu tutelæ, ſibi vel ablatum vel certè imminutum, prudentior ætate factus pro viribus repetere laboraverit. Quod enim injuſtè eripitur, juſtè recuperatur. 4. Nam eo tempore, inde uſq; ab imperio Henrici III. diſputabatur inter Regem & conventus ſtatuum, de diviſione jurium Majeſtatis, cum omnia ad ſe trahere parlamenta contenderent, Reges verò inde à Wilhelmo I uſurpata & legitimè poſſeſſa jura retinere non minori conatu anniterentur. Utrius verò cenſetis, cauſam potiorem, dum lis adhuc fervet & contentio inter partes nondum deciſa eſt vel ſopita: An ejus, qui bono titulo poſſidet, an qui injuriâ ereptum venit? Certè jura civilia etiam Latronem in poſſeſſione defendunt, niſi conſtet apertè de ſpolio. Maximam enim injuriam intulit Gregorius Papa Henrico IV. & Innocentius Friderico II. dum uterq; ab Eccleſia excluſus & à ſceptris gubernaculi ſequeſtratus fuit, propterea, quod ille jus inveſtiendi Epiſcopos, divino & humano jure ab infinita memoria ſibi competens, hic verò poſſeſſiones imperii, contra Tyrannidem, ambitionem & avaritiam Pontificum retinere conaretur. Nec primus Richardus injuriam hanc procerum expertus eſt, & repellere paravit, ſed graviſſimis etiam contentionibus agitatus fuit Henricus III. qui cum aliud profugium ſæpe non reperiret, à ſede Romana ſuppetias emendicatum ivit, nec defuerunt Bullæ Pontificum, quibus iniquas ſubditorum emotiones, in favorem Regis, ſupprimere tentarunt. Et ſi propterea, quod contra Parlamenti decreta, quid præſumſerit vel egerit Rex, à gubernaculo abigi jure poteſt, qua ſingulari fortuna tam impune evaſit Henricus III. imò quo prætextu poterit ipſe Henricus IV. excuſari, quod ut Epiſcopus Carleilienſis in publico conventu ipſi exprobrabat, cum in exilium damnatus eſſet ex decreto Parlamenti,

tamen

Digitized by Google

tamen ſine venia pedem retulerit, non ſine ſuſpitione animi rerũ novarum cupidi, cujus eventus paulò poſt cum pernicie boni Regis apparuit. Si rex, quem conſtituit mos inveteratus, & armis acquiſitum jus ſupra parlamentum, non potuit parlamenti decretis contraria agere, quin regno de parlamenti autoritate & decreto exueretur, qui potuit contra ejuſdem ſententiam ex exilio domum ſe referre ſubditus, nec regis potentiam nec parlamenti autoritatem reveritus? imò, quo facto Rex regnum perdidit, eodem & multò graviori idem ſubditus meritus fuit. Adeò ambulatoria ſunt hominum judicia, & ut venena eadem diverſis ſubjectis nunc obſunt nunc proſunt; Ita & peccata, quæ alijs internecionem afferunt, alios extollunt ad ſummos honores, prout turbidis & præoccupatis hominum judiciis videtur.

7. *Quod lege præcluſiſſet Henrico Lancaſtrio reditum, & ea quoque teneri voluiſſet, ſi quis pro eo revocando interceſſiſſet, aut aliter ſe ſollicitum habuiſſet.* Henricus verò, regnum adeptus, excluſo Richardo, legem de Richardo tulit, ejuſdẽ argumenti, ut capitis ſupplicii reus eſſet, ſi quis cõſilium de liberando Richardo inijſſet, eamq; excuſans Archiepiſcopus Cantuarienſis rectè ſancitam dicit propter pacem publicam. Ubi verò eadem ratio, ibi eadem lex. quod per pacem publicam excuſari potuit in Henrico, cur nõ excuſatũ fuit per eandẽ in Richardo? Nam Lancaſtrius qui animi ſui in Regẽ ſatis ſpectata documenta jam dederat, nova, ut ſibi videbatur, injuria magis exaſperatus, procul dubio litẽ moviſſet, nõ tantum adverſario, ſed & regi tanquã judici, & totã Rempubl: à qua ſuo merito exulabat in inteſtina diſſidia conjeciſſet, quæ mala funditus exciſurus Rex, portus illi omnino occludendos cenſuit, idque intuitu publicæ quietis. Sibi verò manus non ligarat, quin exulãti gratiã facere, & propter inobediẽtiã ejectũ, propter obediẽtiã revocare pro ſuo potuiſſet arbitrio.

8. Iterum de exilio Lancaſtrii.

8. *Quod cum Angli non agnoſcerent ſuperiorem præter Deum, ipſe confugiſſet ad auxilia Pontificis Romani.* Equidem Johannem Regem jure potuiſſe à ſuis deſeri, tradunt Barclaj: *libr. 3. de jure regn. cap. ult. in fin:* Wincet *contr: Buchan*: quando ſecundam cauſam amittendi regni faciunt, ſi Rex Rempubl: ſibi commiſſam abalienet, in ſervitutem alienam, & ſe cum regno ſubijciat extraneæ Majeſtati, quemadmodum Balliolus Scotus ſe ſubmiſit Eduuardo I. Anglo. Ideoque in Johannem dictum fuit à proceribus: Heu *Anglia, princeps provinciarum, facta es, ſub tributo, non ſolum flammæ, fami & ferro, ſed ſervorum ignobilium & advenarum imperio ſubjecta & ſupplanata, cum nihil infelicius, quam ſervorum ſubijci ſervituti. Legimus quod multi alij Reges imò & Reguli uſq; ad*

Refugium ad Papam.

Digitized by Google

mortem pro liberatione terra ſua ſubjecta dimicarunt, ſed tu Johannes lugubris memoria pro futuris ſeculis, ut terra tua, ab antiquo libera, ancillaret, excogitaſti & operam impendiſti: Et ut alios tecum traheres in ſervitutem, quaſi cauda ſerpentina medietatem ſtellarum à firmamento, te ipſum primo depreſſiſti, factus de Rege liberrimo tributarius, firmarius & vaſallus ſervitutis: terrarum nobiliſſimam Chirographo ſervitutis æterna obligaſti, nunquam à compede ſervili liberandam, niſi miſeratus ille, qui toti mundo proſpicit, dignetur quandoque liberare. Matth. Pariſ. *in Ioh.* Cæterum, ſi quis externa imploret auxilia an ille jugum aliquod inducit Reipubl: & libertatem Patriæ prodit, ut, tanquam Tyrannus à malè adminiſtrata provincia arceri poſſit? Franciſcus I. Galliarum Rex vel Turcas ipſos in ſubſidium vocavit contra Carolum V. Imperatorem: Nec tamen Franciam ſubjecit Turcæ aut propterea à ſuis proditoriè abjectus fuit: imò idem & Carolus V. prout res dederant ſeſe, certabant utrinque pari contentione, ut ſubſidium & aſſenſum Papæ in ſuas quiſque partes traherent & promererentur, quia voluntates hominum eò inclinare ſciebant, quo favor Pontificis qui communi errore non credebatur facilè in Electione partis erraturus. Simili conſilio Henricus III. rebus contra proceres pene deſperatis, bullas excivit Roma, ut quos ferro & igne non poſſet, plumbo & Papyro terreret. An igitur perfidiæ aut proditionis propterea unquam accuſatus fuit? an regni ſui libertatem plantis Apoſtolicis, ut Johannes, ſuppoſuit? Certe Pontificiorum, quibus tum temporibus regebatur Anglia, nemo ſalvis articulis fidei id aſſeret, cum ſecundum Canoniſtas, in caſu deſperatæ juſtitiæ, ad Pontificem ſummum unicuique ſe liceat recipere: aut ſaltem Spiritualem eius opem implorare quod ſalva libertate, & ſuo cujuſque jure fieri poſſe, nemo eſt, qui inficias ire poſſit. Nec quicquam præterea à Papa petijt Richardus, quam ut Anathemate feriret rebelles, & immorigeros ſubditos, adeoque bonitati cauſæ ſua acceſſione pondus afferret. Inde verò ſeculari poteſtati præjudicium non creari, vel ex eo patet, quod quivis opinione ſanctitatis conſpicuus Eccleſiæ miniſter, animos ſubditorum in utramque partem movere poſſit, ſine ulla juriſdictione in populum aut Rempubl:

Iterum de exilio Lancaſtrij.

9. *Quod Henricum Lancaſtrium ſine cauſa egiſſet in exilium.* An verò ſine cauſa, cum Lancaſtrius admonitioni & juſſui regis locum dare refugeret, & in gratiam cum adverſario redire nollet. Non poterat enim controverſia aliter dirimi, niſi uterque abiret extra patriam, quam funeſtis cædibus, & ut utrinque denſum trahebant complicium comitatum,

tum,ſeditionibus inceſtaſſent. Uno enim verbo potuiſſet exilii pœnam antevertere Lancaſtrius,ſi in gratiam cum adverſario redire, voluntati Regis cônſenſiſſet,ſed ipſe maluit exilium præeligere, quam honorem hunc adverſario habere. Sibi igitur imputare habet pœnam, non Regi qui alterutrum vellet,eligendum propoſuerat. Sed & ſi injuriâ actus fuiſſet in exilium,non peccatum fuiſſet à Rege in totam Rempubl: ſed in privatum principem. Peccata autem in privatos non debere abdicatione publica imperii,nedum regicidio puniri,paulò ante diximus, & JCti docent,quando magiſtratui negant etiam notoriè injuriam inferenti licitè reſiſti.ſi damnum non ſit futurum irreparabile, & via pateat ordinaria jus ablatum recuperandi,nedum ut id ſubditis liceat in Regem,ſi ex cauſa aliquem ableget in exilium, quem precibus evictus. vel meliora edoctus,poſt intervallum revocare & amiſſo honori juribuſque reſtituere poſſit.

10. *Quod præfectos quoſdam urbium & caſtrorum, lege electos, abdicaverit.* Quid ſi jure quidem electi, poſtea ſe indignos electione fecerint,aut erga Regem impiarint? Etiam jure acquiſita,jure amittuntur,ſi quis jure ſuo abutatur. Sed magiſtratuum conſtitutionem pertinere ad jus Regium jam ſupra pluribus probavimus, quæ idcirco regi, ſine ſumma injuria & diminutione Majeſtatis abjudicari non potuit. *Abdicatio præfectorũ.*

11. *Quod ære alieno gravatus nemini ſolveret.* Unde verò ſolveret,poſtquã reditus & ſubſidia,quæ ſperare in Anglia rex habet,ex vectigalibus & tributis,pertinax ſubditorũ rebellio negarat. Seipſos potius accuſare debuiſsẽt proceres,quod debita ſibi ſolvi vellent,nec unde ſolvi poſſent & deberent,tributa ſacra,ut iterum cũ Juſtiniano loquar,aut vectigalia inferri paterentur. At quantillum hoc quæſo, ad rem tanti præjudicii aſtruendam? Debet. Ergo eſt Tyrannus, aut ab hæreditario regno deturbandus.Si Henrici & Eduardi,utriuſque nominis ejus tertii, debita, ad calculos revocata,cum hujus in ſtatera appenderis tantò illa graviora deprehendes, quantò in militiam & Dominia externa plus coacti fuerunt prodigere. At his opprobrij loco, nedum pro crimine nefario, & ad abdicandum à regno ſufficienti, id nunquam à ſubditis improperatum fuit: Quin potius conſilio & auxilio, quantum in quoque fuit, fidem principum liberare niſi ſunt,quod potius hoc quoque in caſu facere debuiſſent proceres, qui Senatores regni & Conſiliarij regis audiunt,quam abrupto curſu in regiam coronam involare, & in ſolutionem debitorum eam deripere. Potuiſſet enim hoc malum remedio alio multò mitiori corrigi, quemadmodum Franciſcus I. ab Henrico 8. *Æs alienũ.*

Digitized by Google

commodatò accepit pecuniam ad redimendos liberos, nec refugerunt ſubditi bona & poſſeſſiones ſuas creditori pro Regis fide oppignorare.

Tributorũ exactio, & dilapidatio. 12. *Quod tributa multa induceret, & extorcam pecuniam in res nihili prodigeret.* Magnum verò hoc & extremo ſtatim ſupplicio puniendum. Quis annus Henrici IV. caruit nova exactione? Ipſa etiam Eccleſiarum bona, cum publica & Regia prodegiſſet, diripere cepit, nec tamen neceſſariis bellis, in quæ regni divitias profundere potuiſſet, implicitus fuit. Walſingh: *in 6. anno regn:* Henr. 4. Plus igitur peccavit, quàm Richardus, & tamen Minores fures penduntur, Majores in triumphis feruntur. Sumtus faciebat Richardus paulò liberalius Atqui Regem ſe meminerat, & juvenili impetu ferebatur, qui cum tempore deferbuiſſet, aut autoritate principum ſupprimi & in melius demutari debuiſſet potius, quam tanta cum injuria vindicari. Prodigum non privant jura Dominio rerum ſuarum, ſed curatorem inſanienti animo adjiciunt, qui tam diu in medium conſulat, donec is rerum ſuarum curam cum parſimonia gerere diſcat.

Summa poteſtas. 13. *Quod leges in ſuo capite & pectore eſſe diceret,* id quod Cajo quoque objicit Joſeph: *lib.19. antiq: c. 2.* Qui minus, quam Pontifex. *c. propoſuit de conc: præb. & Eccl. cum ſimil:* aut Imperator leges in ſcrinio ſe condere dicit, *l. omnium. C. de teſtam:* legem animatam ſe hominibus in terra conſtituens. *Nov. 165. in fin:* Speculat. *de fer:* §. 1 & *in lib. 2. de jur. Maj.* oſtendimus. Regem non eſſe, qui legum civilium in ſua Republ: Dominus non ſit aut arbiter. Nec enim parlamenta eo tempore vim condendarum legum ad ſe traxerant, ſed trahere conabantur, quorum conatibus, in ſubſidium Regiæ Majeſtatis, obviã ire, & jus ſuum, à majoribus per manus traditum & acceptum, ſartum tectum ſibi reſervare, omni jure poterat Richardus, imò ad id ex officio Regis obligatur, & ne deterius imperium relinqueret poſteris, quam ipſe à Majoribus accepiſſet.

De eodem. 14. *Quod leges in Parlamento latas acceptare negaret*, id eſt, quod ſubditorum imperio regiam Majeſtatem ſubijcere nollet. Superior enim eſt, qui leges ferre poteſt, cum legum virtus ſit nolentem cogere. Legum igitur condendarum poteſtatem aſſcribere ſubditis, quid eſt, niſi imperium ijsdem in manus tradere, & Monarchiam detrahere in dominatum paucorum. Nihil igitur ab Anteceſſorum factis alienum fecit Richardus, quando exemplo Henrici III. & Eduardi I. parlamentorum decreta contra placitum ſuum perlata, legum loco, haberi, & ſe illis conſtringi, pati non potuit.

15. *Quod*

Digitized by Google

15. *Quod frequenter in ſingulos ſæpe annos, nonnunquam in biennium, præfectos urbium*, Schiriffes vocant ipſi, *mutaret.* Ergo & hoc inter Tyranni notas refertur, ſi ambulatorios princeps malit conſtituere magiſtratus, quam perpetuos. Tyrannicè igitur Tiberius, qui tempus honorem capeſſendi contraxit, quod perpetuitate ſuperbire magiſtratus animadvertiſſet. Tac. 2. *Annal.* Tyrannicè Claudius, qui vetuit magiſtratus, vertente anno, cum legatione manere in provincia, ne magiſtratuum continuatione tempus reddendarum rationum eluderetur. Dion. *in Claud.* Tyrannicè Romani, qui breviſſimo tempore & Dictaturam & Cenſuram circumſcripſerunt, ut quibus poteſtatis non poterat, temporis modus poneretur. Cæterum Richardus nihil potuit facere minus Tyrannicum. Nam & ſibi conſuluit, ne magiſtratum aliquem longitudine temporis inſoleſcentem, in caput ſuum enutriret, & Reipubl: ut pluribus aditum ad publica officia & lucroſa apperiret, & præfectis pingueſcendi è bonis ſubditorum occaſionem præſcinderet. *Magiſtratuum mutatio.*

16. *Quod præter nobiles & cives, alijs quoque in conventibus & officijs publicis locum daret.* Itane Romani indignè & Tyrannicè, Numam & Tarquinium peregrinos, non tantum in primum civitatis locum, ſed & ſedem regiam receperunt, & improbè Harmodij conſilio uſi ſunt in deſcribendis legibus Græcorum. Joſephus dominabatur toti Ægypto, ubi peregrinus erat, Daniel apud Nabuchdonoſorem, Eſther & Mardochæus apud Aſverum. Caſimirus M. Polonorum rex etiam Judæos inter intimos Senatores aſſcripſit, & Johannes Albertus habebat in delitijs Callimachum Italum, Cromer: *lib. 10.* Nemo tamen ex hoc in peregrinum quempiam impenſo favore, Tyrannidis quenquam arguere audeat, cum aliud ſit peregrinos in contemtum & odium civium omnia adminiſtrare ad deprimenda commoda inquilinorum, ut Carolus Andegavenſis in Sicilia, Mammeluci in Ægypto, Franciſcus Delphinus in Scotia quod ad Tyrannidem quam propè accedit: aliud peregrinis quoque Reipubl: fores prorſus non obſerare, ſivè propter bene merita digni ſint, quorum ratio in Republ: habeatur, ſive propter ingeniorum bonitatem & excellentiam artium, plurimum Reipubl: videntur auxilij allaturi. *Peregrinorum promotio.*

17. *Quod ſpeculatores aleret, qui populi dicta ſibi referrent.* Sollicitus fuit Rex de vita & ſalute, cui inſidias locari non ignorabat. Leges verò & illi ignoſcunt, qui quocunque modo ſe ſalvum præſtare voluerit. Speculatores verò emittere nulla prohibet religio, quos licet in publicis *Speculatorum delatio*

negotiis improbent imperatores, *l. ſing. 14. C. de accuſat.* propter periculum, quod innocentiæ inde creatur, tamen in multis Rebuſp: adhuc hodie præmiis conducuntur. & Darius & Hieronymus Syracuſarum Rex licet à Tyrannide vehementer alieni, eorum opera animos & ſermones ſubditorum explorarunt. Quod igitur Richardus dicta ſubditorum per ſpeculatores ſublegerit, Tyrannicum non eſt, modò ex nuda illorum delatione inſtar Valentis Imp: in notos juxta & ignotos, nocentes & innocentes, ſine diſcrimine non ſævierit, quod ipſi quidem in mentem nunquam venit.

Tributi exactio ab Eccleſia.

18. *Quod tributum exegiſſet ab Eccleſiaſticis.* Nimirum, ut Manuel Comnenus Imp poterat ſe jure divino tueri, quia, ut ait Ambroſ: *Tributum Cæſaris eſt: petenti non negatur*, & Hugo de S. Victore: *Nunquam poſſeſſiones à Regia poteſtate ita elongari poſſunt, quin ſi ratio poſtulaverit, & neceſſitas, & illis ipſa poteſtas debeat patrocinium, & illis ipſæ poſſeſſiones debeant in neceſſitate obſequium.* Sed non ea mens, non is animus Richardo, qui ad expeditionem extraordinariam in Hiberniam ab Eccleſiis exigebat, quod & à priſca memoria in Anglia, & in univerſa Chriſtianorum ditione conferre obligati erant, ut *in tract. de Exempt. Cleri c. 4. num. 1*. pluribus probavimus. Carolus M. ad regalis numinis expeditionem, etiam angarias & parangarias ab Eccleſiis exegit: Otto I. & Fridericus I. quod fodrum Saxonico nomine dicunt: Franciſcus I. ſubſidium imperavit Clericis, cum exhauſtum eſſet ærarium continuis bellis contra Carolum V. Imò licentius graſſatus eſt Henricus IV. in bona temporalia Clericorum, ac parum abfuit, quin ad exemplum Nicephori, poſſeſſionibus eos prorſus multaret, quod etiam auditum erat ex ore Henrici V. Unde Archiepiſcopus Cantuar: timens, ne minas in effectum deduceret, cogitationes ejus aliò ſibi avertendas putavit, eoque fine non deſtitit audacem & magna moliturum animum ad repetendum bellum Gallicum, cum magna Chriſtiani populi pernitie, propellere.

Autoritatis defenſio.

19. *Quod non pateretur, ut ſibi obloquerentur proceres,* nimirum Verbis objurgatoriis, quemadmodum Dux Gloceſtrenſis, nimis pro imperio, facere conſueverat, quem idcirco fratres quoque reprehendebant, quod immodeſtius, quam ſubditum deceret, Regi ſeſe opponeret. Nam & Ptolomæus Ariſtomenem præceptorem, & Alexander M. Clitum è medio ſuſtulerunt, quod acrius, quam ipſos decuiſſet, & quidem non ſine ignominiæ publicæ ſuſpitione, Reges ſuos increpaſſent. Richardus autem tantum judicio oſtendit, ſe Regem eſſe, & jurgia ſubditorum pro conſiliis audire noluit.

20. *Quod*

20. *Quod theſauros regios ſine conſenſu parlamenti abduxiſſet in Hiberniam.* Quomodo ſine conſenſu? Conſenſerant proceres in bellum, & conſequenter in ſumtus bellicos, quia bellum ſine ſumtu expediri nequit. Fac autem ſine conſenſu abductos theſauros. Atqui abducebantur non in fraudem, ſed in ſalutem Reipubl: & in ijs, quæ vergunt ad commoda Reipubl: conſilium Regis, quantumvis privatum, reprehendi non poteſt. *Regiorum theſaurorū abalienatio.*

21. *Quod obſcurè & Sophiſticè, ſive Romam, ſive aliò ſcriberet.* Quid potuit futilius objici ad evincendam Tyrannidem. *Argutias in literis quærere, non eſſe principum, ſed Advocatorum,* dicebat Mauritius Elector, cum Carolus V. æquivocationem captaret in duabus voculis. Quin etiam, quod Romam ſcripſerit ſophiſticè, & pontifici imponere voluerit, ex eo articulo ipſi laudi verti debuit, quo accuſabatur nimium tribuiſſe pontifici. Non enim nimium tribuit, qui callidè illudit. *Sophiſtica ſcriptio.*

22. *Quod nova & ſophiſtica juramenta à ſubditis exigeret, eosq́ cogeret jurare in leges nondum viſas* ſicut Claudius edicta ſua proponere ſolebat tam exiliter & obſcure ſcriptas, ut, cum accuratè legi non poſſent, facilius in eas peccaretur. At quæ ſunt illæ leges, in quas nondum viſas coacti fuerant jurare ſubditi? quænam illa juramenta Sophiſtica? Evidentem enim oportet eſſe probationem contra Regem, pro quo ſemper præſumitur. Et cuinā ex ſubditis nocuiſſet dementia Regis, niſi ſibiipſi, ſi ſe ſalvum fore putaſſet ijs juramentis, à quorum obſervatione excuſati potuiſſent reddi ſubditi, propter ſolam ignorantiam. Impune enim ignorat, in cujus poteſtate non eſt, ut ſciat. *Sophiſtica leges, & juramenta.*

23. *Quod diceret vitas & bona ſubditorum eſſe in ſua manu.* Regiè, quia ſi paterfamilias olim bona & vitas liberorum atq; adeo etiam uxorum habuit in ſua manu. pro quo jure reducendo multa diſputat Bodin: 1. *de Rep:* multò magis Regi competit jus vitæ & necis in ſuos ſubditos. Nam ſi Regi non competit, (competere autem alicui in Republ: debet) cuinam competeret, cum in Regno ſolus rex rerum & jurium Majeſtatis potiatur? Adeò plerumque accuſatur Richardus, quod regiam poteſtatem integram ſibi contra affectatas injurias procerum vindicare & reſervare niſus fuerit, quemadmodum & Bucherius invehitur in Henricum 2. Gallum, quod dixerit: *Meus clerus, meus populus.* Quantò juſtius idem torqueret argumentum ſuum contra Carolum M. & Ludovvicum Pium, quia tam populum, quam clerum, ita ſuum putarunt, ut de ijs non dubitaverint teſtamentis cavere & diſponere, quod de re aliena ipſis nunquam licuiſſet. *Poteſtas abſoluta.*

Digitized by Google

mo Regum vindici, ulciſcendum reliquerunt: ipſi ſe ſubditos meminerunt, & ſine ſacrilegio excutere non poſſe, quem Dominus dominorum, à ſe inſtitutum, placidè ferret.

27. *Quod Archiepiſcopum damnaſſet, indicta cauſa.* Evidentia facti non indiget clamore accuſantis vel defendentis, imprimis, quando impendet metu ſeditionis. Nam ſi in publicum concilium produxiſſet reum, qui & lingua pollebat, & gratia valebat apud populum & cauſam fovebat plauſibilem, libertatis amico pallio obductam, facilè imprudéti vulgo glaucoma ob oculos objeciſſet, & vel injuſtiſſimæ cauſæ ſpectatum obtendiſſet prætextum, quemadmodum & Eſſexius omnium animos in ſe convertit, & à colloquio Reginæ callidè ſubmovebatur, ne ſui intuitu & memoria præteritæ converſationis, & morum corporisque elegantia, & flexamini loquela, animum ejus à ſententia deflecteret, & veniam peccati, cum pernitie totius Curiæ, impetraret.

28. *Quod Archiepiſcopi bona ſucceſſori donaſſet, modò in leges Regis jurare*: Quidnam in hoc articulo peccavit Rex, an quod bona Archiepiſcopi in ſucceſſorem tráſtulerit, an quod in leges ſuas adegerit ſucceſſorem? Cui potuiſſet propter conjurationis conſcientiam auferre vitam, qui non potuerit bona? Bona verò caduca aut indigno ablata, cum jam vindicata eſſent fiſco, annon potuit transferre, in quem voluerit? Aut quid id peccati eſt: Magiſtratum & ſubditum non acceptare, niſi juratum in leges? Juſtinianus exigit juramentum ab omnibus judicibus, & Romani non ſinebát injuratum magiſtratum in provincia verſari, præter paucos dies. *Solo* quippe *juramento*, ait Symmachus, *Inclyti principes tuti ſunt*, & magiſtratus obligantur ad obedientiam & diligentiam.

Hi ſunt articuli, junctis quinq; aliis, qui ad Eccleſiam ſpectant, ob quos Angli abdicarunt Richardum II. Quis jam principum vivit adeò circumſpectus, adeò perfectus, & populi obſervans, quem non transverſum rapiat, vel neceſſitas, vel pertinacia ſubditorum, vel humana imbecillitas, & in unum aliquem ex his ſcopulis præcipitem ferat. Nullus regum in Anglia inde à primordiis Wilhelmi Conquæſtoris habenas tá feliciter moderatus eſt, cui non aut paria, aut, penè dicam, majora impingi crimina poſſint, ſi omnes eorum actiones ad limam revocare velimus, & ad calculos officii regii. Abſit autem uno ſtylo propterea omnes Reges perfodiendos putemus, & ad ordinem Tyrannorú redigamus, ac ſi privilegia Regum perdantur malè utendo. Cum Tiridates videret Corbolonem, res Neronis, quamvis mali principis, benè & feliciter gerentem, *O quam bonus ſervus, inquit, quam mali principis. Dion. l. 63.*

9. Vitia leviora non ſufficiunt ad Regem abdicandum.

Ita

Ita & nos, DEI providentia, nacti malum principem, quem, cum mutare & excutere nefas ſit, ferre cogamur, malum imperium non debemus malè obediendo ulciſci, aut peccatum regis, noſtris peccatis punire, ſed patienter ferendo, iram DEI, qui nos merito noſtro perſequitur, emollire, & meliorem patiendo promereri rectorem ab eo, qui corda regum ſua gubernat manu, & reges diſpenſat pro meritis populorum. Quia verò in Tyrannum, quippe cui DEI juſſu obligati non ſumus, (DEUS enim nō obligat ad illegitima, injuſta, & inhoneſta) ſi exurgat Reſpubl. ejuſque iniquis oppreſſionibus pro ſui conſervatione ſe opponat, non peccat, nec ſacrilegium committit, diligenter ab initio tenenda eſt eſſentia & definitio Tyranni, quem neſcio, an hodierni Politici rectè & ex arte definiant, dum eum per notas deſcribunt, petitas quidem à poſteriori & proinde eſſentiam ipſam Tyranni non exprimentes, ſed nec ſufficientes nec uno ordine ab omnibus proponi ſolitas. Bartolus *in tr. de Tyrann.* decem affert, ex quibus præcipuas facit, quando diſſidia inter cives alit, quando ſubditos depauperat, & in eorum fortunas ac corpora ſævit. Claudianus *de bello Gildon.* has proponit:

Nota Tyrannidis.

Inſtat terribilis vivis, morientibus hæres,
Virginibus raptor, thalamis obſcœnus adulter.
Divitibusq; dies, & nox metuenda maritis.
Quisquis vel locuples, pulchra vel conjuge notus,
Crimine pulſatur falſo, ſi crimina deſunt,
Accitus conviva perit. Et paulò poſt.
Si quisquam vultu præſentia damnet,
Liberiusq; gemat, dapibus crudelis in ipſis
Emicat ad nutum ſtricto mucrone miniſter.
Item de 4. conſ. Honor.
Sors iſta Tyrannis,
Convenit, invideant claris, forteſq; trucident,
Muniti gladiis vivant, ſeptiq; venenis,
Ancipites habitent arces, trepidiq; minentur.

Hæc & multa id genus congregant, Bodin. 2. *de Republ. c.* 4. & ex eo Althuſ. *c.* 14. *Polit.* Tholoſan. 6. *de Republ. c.* 18. Antimachiavellus *in præfat. lib.* 2. *& lib.* 3. *theor.* 15. Lipſ. 6. *de Republ. c.* 5. Johan. Maria *l.* 1. *de reg. & regn. Inſt. c.* 5. Gail. 2. *obſerv.* 61. *n.* 9. Jacob Middendorff. *in Theol. Jurid. & Polit. qq. q.* 16. Henric: Stephan. *in reg. & Tyr.* Caſ. *in Sphær. civit. lib.* 5. *cap.* 10. Waremund. ab Erenb. *de Reg. ſubſid. & oner. ſubd. c.* 11. *n.* 32. *&* 33. Gregor. Richt. *poſt axiom. Polit.* 91. *& ex eo* Hœnon. *diſp. Polit.* 9. *à. nu.* 35. *ad n.* 43.

Verum

Digitized by Google

Verum ſi hæ notæ ſimul ſumtæ conſtituunt Tyrannum, non aliter de Tyranno philoſophandum eſt, atq; de Republ. Platonis, aut optimo viro Ariſtotelis, aut oratore Ciceronis, aut Architecto Vitruvij. Nam ſicut ideæ horum quidem depingi poſſunt, res ipſa verò in natura non invenitur, tam propter imperfectionem humanam, quam propter incertam viciſſitudinem omnia turbantis fortunæ. Ita nec perfectus & omnibus iis numeris abſolutus Tyrannus per rerum ſeriem ſubſiſtere poteſt, quia tot mala tum ſeipſa mutuò, tum ſubjectum, quod inumbrant, deſtruerent. Fingitur enim Tyrannus quaſi acropolis malorum, & ſummum malum ſeipſum deſtruere dicunt philoſophi. Si verò ſeparatim ſumtæ notæ vel ſingulæ conſtituant Tyrannum, vel quædã ſimul coacervatæ, prout Antimachiav. præcipuas colligit ex Bartolo, quotus quiſq; principum Reipubl. præerit, cui non jure poſſis ſecundum hanc opinionem nomen Tyranni inducere. Pharaonem, Saulem, Achabum ex hac ratione Tyrannos facit Hœnon. *d. diſp. 9. n. 34.* quibus tamen nec Moſes, nec Samuel, nec Elias unquam vim juſſerunt à ſubditis inferri, vel conſilia agitari, quo pacto ſceptra è manibus malè adminiſtrantium poſſent excutere, ad quod ſubditos ex decreto ejuſdem *n. 44.* obligari dicuntur. Pharao oppreſſit peregrinos, ſive incolas, & jam longi temporis lapſu, legitimos cives effectos, quod Tyrannicum eſſe non negamus, ſed ſicut una prava actio non facit hominem abſolutè pravum & vitioſum, nec una ſevera punitio injuſti Judicis, ſeu una bona actio, conſtituit agentem extra omne opprobrium, aut facit abſolutè bonum. Ita Tyrannica actio, aut vitium privatum, non ſufficit ad inducendam Tyrannidem, ideoque Moſes non petebat coronam Pharaonis, ſed dimiſſionem populi & tutam fugam. Poteſt enim quis peccare in uno: cætera probus eſſe. Quis enim proditoriam in ſubditos ſævitiam non refert inter Tyrannidis ſigna? At hac arte oppreſſit David Uriam, quod neſcio annon æquè grave peccatum ſit, atque Achabi. Uterque enim ſubdito injuriã mortem intulit, at David proditione injuriam auxit, & uxorem eripuit, cum Achab non eriperet, niſi veniam. Quo jure igitur Achab ex hoc facto Tyrannus magis, ſi negotium religionis à negotio Reipubl. ſepares evadit, quam David? Impius fuit Saul, &c. ut ſupra ex Cypriano dixi, *multa Tyrannicè deliquit*: Rex tamen, etiam cum Sacerdotes trucidaret, & Davidem injuria perſequeretur, nec non Unctus Domini ab ipſo Samuele, & Davide, habetur & dicitur. Nam dum quadringenti, à Saule oppreſſi, *1. Sam. 22.* confugiunt ad Davidem, quo argumento inde elicit Hœnon. *d. diſp. 9. n. 45.* quod voluerint Sauli reſiſtere? Cur

Non conſtituunt eſſentiã Tyranni

Crimen privatum non facit Tyrannum.

M igitur

igitur recipiunt ſe in regionem Moabitarum, & abeunt in voluntarium exilium. Imò ſi Abimelech Pontifex jure potuiſſet partes Davidis ſequi & conjurare contra Regem, cur ita ſe excuſat expoſtulanti regi, quod neſciverit inimicitias eſſe inter Regem & Davidem, tanquam generum Regis. Alias ſibi nihil rei futurum fuiſſe cum domo Iſai. Confluunt quidem ad Davidem univerſus populus 1. *Para. 11.* 2. ut ipſum regem ſalutent & reducant, ſed non, niſi poſtquam Saul fatis conceſſerat. Sequuntur eundem exules, quotquot ad ipſum profugerant, *1. Sam. 25.* ſed non contra Saulem, verum contra Nabalem. Contra Saulē verò nec David, nec viri ejus unquam manus levarunt, nedum, ut proceribus, quos Hœnon. Ephoros, novo & inſolito officio, conſtituit regis Corycæos, & ſub pœna perduellionis ad reſiſtendum regi degeneri obligat, ea cura incumbat. Nec enim jure filij excidit ſtatim filius, ſi quid committat contra reverentiam parentibus debitam: nec honorem matrisfamilias perdit uxor, ſi ſit bibula, ſi alijs obnoxia vitijs, quæ vinculum matrimonij non attingunt: nec hæres ab hæreditate repellitur, ſi non perſolvat ſtatim fidei commiſſum codicillis relictum, ex voluntate defuncti. Ita nec Rex uno impetu degenerat in Tyrannum, aut perdit omne jus & poteſtatem legitimam, ſi non præſit ex amuſſim ad utilitatem omnium, ut confitetur ipſe Gerſon *in tract. de auſer. Papa conſ. 14. part. 1. Operum* licet *par. 4 Alphab. 66. lit. L. conſ 7.* immodeſtius paulum de hoc negotio loquatur, principem occidi poſſe ſtatuens, à ſubditis, ſi eos manifeſtè & cum obſtinatione, injuria & de facto perſequatur. Julianus talem ſe præſtabat Chriſtianis: Eum tamen Nazianz. *Orat. 1. in Jul.* vocat omnium prudentiſſimum & optimum Reipubl: adminiſtratorem, nec alius erat, ſi Marcellino credimus quippe, qui tam caram & commendatam ſibi habebat Rempubl. ut per ejus ſalutem juraret: *Ita ſalva ſit Reſpubl. Ita bene habeant cives imperii.* Auguſt. *in Pſalm.* 124. etiam obediendum eidem præcipit, nec vult detractari illius imperium, ſi intra terminos politiæ ſe contineat, *cap. Imperator. 11. q. 1.* perindè ut S. Ambroſius, qui ait: *Julianus Imperator, quamvis eſſet Apoſtata, habuit ſub ſe Chriſtianos milites, quibus cum dicebat, producite aciem pro defenſione Reipubl. obediebant: Cum autem diceret eis, producite arma in Chriſtianos, tunc cognoſcebant Imperium cœli non terræ,* idq; exemplo Davidis, 1 *Sam. 27.* qui licet peregrini Regis ſubditus non eſſet, ſed ſub ejus patrocinio tantum viveret, ſecurus ab inſidijs Saulis, tamen evocatus ad bellum, detrectare non auſus fuit, ne tum quidem, cum ducendum eſſet in patriam, ſed obedientem Incolam Deus occulto conſilio liberavit, ne quâ ſub præ-

textu

Digitized by Google

textu clientelæ cogeretur populo Dei aut legitimo ſuo Regi arma inferre.

Et hæc doctrina nova non eſt, ſed à primis Eccleſiæ incunabulis per manus traducta, ut ex Ignat. *in Epiſt. ad Antioch.* Juſt. Mart. *in orat. ad Anton. Pium.* Tertull. *ad Scapul. c. 2. & de Idol. c. 2.* ex Hieron. *ad Tit. 3. ſuper illud: Admone illos principibus & poteſta. ſubditos eſſ.*: Ambroſ. Auguſt. Athan. Hilar. ſupra demonſtravimus, & ne quis neceſſitati magis, quam virtuti aut voluntati SS. patrum hanc patientiam imputet, cum Bellarmino, qui in diſp. *contra Barcl.* illud Nazianzeni *ex orat. 1. in Jul. Lachrymas ſolas ſupereſſe Chriſtianis contra perſecutiones Juliani*, ſic interpretatur, quaſi Julianus ijs nihil reliquum fecerit ſeu quaſi vires Tyrannide ſua omnes præſciderit, quibus aliàs ijs contra Apoſtatam & impium Imperatorem, uti fas fuiſſet, adeat Gregor. Tholoſ. *l. 26. de Rep. c. 7. n. 10.* Barclai. *l. 6. de regn. c. 26. & de poteſt: Papæ. c. 7. &* 8. Caſpar. Ulenberg. *in lib. qui inſcribitur: Graves & juſtæ cauſæ. cauſ. 22.* Wincet. *in flagell ſectarior. pag. 100.* Blacvodæ. *in Apol. pro Regib. c. 30. & lib. 2. de conjunct. Imp. & religio.* Widdring. *in Apol. Bellar. à n. 249. uſq; ad n. 267*: qui pluribus argumentis deducunt, vires Eccleſiæ non tantum ſub Imperio Juliani non defuiſſe, ſed & multò ante ſufficientibus copijs, ad dejiciendum à ſolio Imperatores, Chriſtianos inſtructos fuiſſe. Nam ſua ætate jam his verbis audet Tertullianus multitudinem Chriſtianorum efferre: *Si hoſtes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum. Plures nimirum Mauri, & Marcomanni, ipſiq; Parthæ, vel quantæcunque unius tamen loci, & ſuorum finium gentes, quam potius orbis? Externi ſumus, & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatia, Senatum, forum. Sola vobis reliquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis. qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quam occidere?* Imò quid opus erat copijs & armis, ſi unus Catisbejus, aut Jacobus Clemens huic negotio ſuffeciſſet? An non tam promptum fuiſſet quantumvis paucis in caput Imperatoris conjurare atque Garnetto cum aſſeclis in pernitiem regis Angli. Nec enim Chriſtianis magis defuiſſet animus, quam Scævolæ, cum multi militum, qui ex errore thus adoleverant impoſturis Juliani decepti, per regiam diſcurrentes, non tantum manus, ſed totum corpus ad ignem offerrent, ut igne polluti alio igne repurgarentur. Theodor. *l. 3. c. 17.* Reprimebant autem manus, & occaſioni cum Davide renuntiabant, quia, ut Bernhardus ait *Epiſt. 170. non ignorabant, ubi legiſſent*:

Exēpla & praxis primitivæ Eccleſiæ.

ſent: Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Nondum enim in eorum animis invaluerat præpoſterum dogma, quod princeps hæreticus, qui alios vel exemplo, vel præcepto ad hæreſin pertrahere vellet, non ſit tolerandus, ut docet Bellarm. *lib.5. de ſum.Pontif.c.7 arg.3.* & quod provincia hæc cui, vis fraterculorum aut popularium dari poſſit, *ut diſput.* Bucher. Nam ſicut is, qui ad ignem congeſto pulveri ſupponendum ſubornatus erat in Anglia, ſperebat cum fumo ſubvolare ſtatim in cælum, ad exemplum Eliæ, perſuaſus ab ijs, qui hac ſpe animare ſolent juvenilem audaciam, ſi fides habenda libro *Delphu excuſo, de proceſſu, quo Jeſuitæ conſecrare ſolent parricidas principum:* Aut qui inter Aphoriſmos ſuæ doctrinæ & hos habent: *Fideles hæretico non obligari, ideoq; licitè quemlibet vaſallum & ſubditum, veneno aut quacunq; ratione, poſſe principem è medio tollere & hoc facinore mereri beatitudinem æternam, in ipſo momento ſibi, de imperio Papæ, qui claudere poteſt cœlum & aperire, expectandam.* Anton. Arnald. *in Philipp. in Jeſuit.* Paul. Florenius *in colloq. Jeſuit.* Autor de ſtudijs Jeſuit. abſtruſ. & ſanguin. *cor. conſil.* Joachim Urſinus *in Specul. Jeſuit.* Paſq. *in Catech. Jeſuit.* Ita è contrario SS. patres & ſinceri Chriſtiani, Core, Dathan, & Abiron quos vivos terra abſorpſerat, ob oculos ſibi ponebant, veriti, ne parem ſibi accerſerent calamitatem, ſi minimum divinæ ordinationi ſe oppoſuiſſent. Gregorius M. totidem verbis ſuæ patientiæ hanc rationem reddit, quando per tot annos Longobardorum incurſus à ſe toleratos ſcribit, quod *præ timore Dei in nullius morte ſe commiſcere* voluerit *lib. 7. Epiſt. 1. & lib. 11. Epiſt. 45.* Nec aliter ſuſpicandum eſt de cæteris, qui religionem Chriſtianam, ſub impijs Imperatoribus, conſtanti fide profitebantur, imprimis cum tanto numero eſſent, ut *omnes ferè mortales Deorum cultu relicto, Chriſtianorum genti ſe commiſcuiſſe*, jam ante Conſtantini imperium ſcripſerit Maximinus. *Euſeb: libr. 9. cap. 9.* Quid ſi etiam vires defuiſſent ecquid tam excordes fuiſſe Chriſtianos milites putabimus, ut, ſi Eccleſię pomæria ſuo ſanguine propagari licitè & meritoriè potuiſſe crediδiſſent, non aliquâ fortitudinis & militiæ Chriſtianæ rudimentum dare auſi fuerint, & improbuli principis caput, quamvis cum præſenti vitæ ſuæ periculo, invadere, quemadmodum noſtro tempore, poſtquam diſciplina ea deſiit, qua, ut ipſe Franciſc. Romulus, ſive mavelis Bellarminus *in reſponſ. ad Apolog. Cathol. pro Navarr.* confitetur, *potius ad martyrium ſubeundum Epiſcopi, quam ad principes coercendos parati eſſe* jubebantur, paſſim, atque proh dolor, quotidiè fieri experimur. Abſtinuerunt autem manum, Deum, ſuæ ordinationis vindicem reveriti, quia quam diu

diu legitimam poteſtatem retinet princeps, tam diu Deo præſide & autore tutus eſt ſanctuſque.

Legitima autem poteſtas iis peccatis non amittitur, quæ poteſtatem non attingunt. Licet enim Henricus IIX. rex Angl. adulteriis & ſcortationibus regium ſplendorem improbè commacularet, nec obſcurè in eo puniretur, in quo peccaverat licet in uxoribus abdicandis nimis facilis eſſet, & libidini ſuæ magis quam dignitati conſuleret licet præter modum in eos, qui ſuæ libidini adverſabantur, & qui caput Eccleſiæ quod novum & inſolens Pontificiis videbatur ipſum agnoſcere tergiverſabantur, graſſaretur: Non tamen à Bellefor. *in hiſt. Ducis Nortfolc*: & Paulo Jovio *in Imag. Henr 8* monſtrum hominis, peſſimus mortalium, & Tyrannorum omnium maximus proclamari debuit, præcipuè, cum Reipubl. benè de cætero præfuerit, Carolo V. non minus, quam Franciſco I. qui tum temporis de Imperio Europæ certabant, terrori, & etiamnum hodie inter præcipuos Reges, & regni conſervatores à ſubditis colatur. *Diſcrimen privator & publicorũ delictorum Henr. 8. Angl.* Et quid non imputant oſores Eliſabethæ, hujus filiæ, propter Mariæ, Scotorum reginæ, & Comitis Eſſexii cædem, propter ſeveriora decreta in eos, qui Majeſtatis rei apud Anglos habentur, quod ſummum imperium in Eccleſia regibus competere non poſſe, pertinaciter diſputando, animos ſubditorum ab obedientia debita diſtrahunt & abalienant. *Eliſabeth. Regin.* La Vall. *in hiſt. hæreſ.* Eizing. *in Monarch. de Mar. Scot.* Laborabat Henricus IV. ſuſpitionibus quibuſdam, ut & Lotharius Imperator, & Ludovvicus Pius impensè favebat Judithæ uxori. ut Richardus II. Anglus ſponſæ. Nec tamen ſatis probabiliter ex amore juvenili, quo ſponſam Gallicam ardebat, qui brevi, cum tempore deferbuiſſet, animum à Republ. alienum & ad Gallos nimis propenſum, præſumſerunt Angli: Froſſard: *lib. 4. ad fin.* nec Ludovvicus Pius Regali ornatu propter nimium uxoris favorem juſtè ſpoliatus fuit ab Epiſcopis: Thegan. *in Ludovv.* nec Lotharius ex albo regum à Nicolao Pontifice meritò deletur, propterea, quod uxori concubinam ſuperinducere videretur. *c. ult. 2. q. 1.* Et de Henrico IV. rectè Philippus: *lib. 4. Chron. Quanquam ex vitijs quibuſdam laboravit tamen p opterea a Pontifice, ut Tyrannus excommunicari, & conſequenter imperio exui non debuit*, quod & Sigebert, Gemblacenſ. *in Catal.* dicit ſe reſpondiſſe Epiſtolæ Hildebrandi *ad Herm. Meteuſ. Epiſc. ſcripta in poteſtatis Regiæ calumniam.* Vincent. *in Spec. lib. 25. c. 84.* ejus verba refert: *Nimirum ut p ce omnium dixerim, hac ſola novitas (ne dicam hæreſis) nec dum è mundo emerſerat, ut Sacerdotes ejus, qui dicit Regi Apoſtata, & regnare facit hypocritam propter peccata*

populi, doceant populum, quod malis Regibus nullam debeant ſubjectionem, & licet ei ſacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec perjuri dicantur, qui contra Regem ſenſerint: imò, qui Regi paruerit, pro excommunicato habeatur, qui contra Regem feceri', à noxa injuſtitiæ perjurij abſolvatur. De Cajo nepote Marii dicit Plutarch. *in Mar. Non laborabat notabili alio vitio, niſi quod pueros amaret.* Si idem de Rege liceat dicere, ſi injuriam alicui ex ſubditis inferat, ſi matrimonii ſui vas non ſervet ſincerum, ſi aures gerat adulatorum vocibus nimis apertas, ſi præ venandi ſtudio innocentiam periclitari ſub injuſtitia patiatur, etjamſi graviter peccet, & Deo de peccato ſit redditurus rationem, tamen niſi libidinoſas manus extendat in totam Rempubl: & in populi totius interitum omnia machinetur, Tyrannus nondum dici poteſt, aut à poteſtate, tanquam illegitima, abigi.

10. *Delicta publica faciũt Tyrannum* — *Perfectorum quidem tantum eſſe* dicit Auguſtin: *contr: Adim: c.16. non odiſſe in peccatoribus, niſi peccata,* nec minus arduũ eſt, diſtinguere peccata à poteſtate, & adulterium Regis deteſtari, poteſtatē verò venerari: id tamen ut diligenter faciamus, rei, de qua agimus, natura exigit: Sicut enim alia ſunt delicta *civis*. alia *militis*, Menand: *lib.1. de re mil: l. in militibus. 13. C. de teſt: mil:* quæ *Caſtrenſia* peccata vocat Vopiſcus, *in Aurel.* ita aliter peccat Rex qua Rex, aliter quà homo, Vitia enim diſtinguuntur, ut virtutes. Nec enim quævis virtutes cuivis competunt, nec ijsdem perficitur & laudatur ſervus aut uxor, aut maritus & Dominus, ut docet Ariſt: *1. polit: c. ult:* Nec omnes, quæ vulgò enarrari ſolent & ad Regis complementum requiri, virtutes, *in ſtatu: Polon: Priluſ. lib.1. c.1.* Iſocrat: *in Nicocl* Lipſ: *in 1. & 2. Polit:* Caſtellan: *de off: reg.* Ioh. Mar: *2. de inſtit: reg. Gregor. Thol. libr. 8. 9. 10. 12.* ab eſſentia Regis, ut regis, profluunt, ut eleganter tradit Auguſtin: *in c. ſi Eccleſ: in fin: 23. q. 4* cum maximam partem â privato quovis homine exigantur, ſed virtus, quæ nihil aliud eſt, quam perfectio rei cujuſque ex eodem haurienda eſt rerum ordine, in quo res ipſa conſiſtit. Si rex igitur eſt Monarcha, ad totius ſalutem, Rempubl: administrans: Tyrannus ex oppoſito erit, Monarcha, qui omnia referat ad deſtructionem totius & ſua commoda privata, quo animo Caligula unam cervicem populo Rom: optabat, quò uno ictu poſſet amputari: Suet *in Calig: c.30.* Queri etiam palam de conditione ſuorum temporum ſolebat, quod nullis calamitatibus publicis inſignirentur atque ſubinde exercituum cædes, famem, peſtilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ optabat: *Id. cap. 31.* Exercitus quoque integros, qui olim poſt exceſſum Auguſti ſeditionem moverant, contrucidandi conſilium

inierat:

inierat *c.* 48. Senatui ſe neque civem, neque principem amplius fore edixerat. Propoſuerat quoque Antium, deinde Alexandriam commigrare, interempto prius utriuſque ordinis electiſſimo quoque. *c.* 49. Nec longius abfuit Nero, cum urbem incenderet, alioque ſe translaturum ſedes ſuas minitaretur, Vict. *in* Ner. de quo ferebatur verſus:

Roma domus fiet, Vejos migrate, Quirites,

Si non & Vejos occupat iſta domus. Sueton. c. 39.

Quanquam Sueton. alium prætextum adducit, quod offenſus fuerit deformitate veterum ædificiorum & anguſtiis flexuriſque vicorum *c.* 38. Cardan: *pro Nero.* Vitellius, cum inambularet inter civium à ſe trucidatorum cadavera, reliquis nares obturantibus, ne fœtore læderentur, nihil dixit ſuavius olere, quam civem occiſum. Suet. *in Vit.* Quid hoc aliud eſt, quam interitu populi & Reipubl. animum paſcere, & à cura paterna, quæ regi incumbit, è diametro ad Tyrannidem recedere?

Propterea veram Tyrannidem deſinit *Ariſt. 4. Polit. c. 10.* quod ſit *Imperium ſummum unius in pares & meliores ad ſalutem privatam, non publicam,* ejuſque mentem accuratè aſſecutus eſt Averrh *tract. 3. polit.* ex deſtructione reipubl. Tyranni naturam tantum æſtimans. Thomas *in comm. ad d. c. 10.* ad hunc modum reddidit: *Tyrannis eſt nullis ſubjacens legibus incorrigibilis principatus ſimilium & meliorum, propter bonum ſuum, non propter bonum ſubditorum. Principatum* ponit loco generis, loco differentiæ, *Incorrigibilitatem,* pro materia, *Æquales & meliores,* pro fine *ad privatum commodum & in detrimentum ſalutis publicæ.* In qua definitione redundat verbum: *Incorrigibile,* quod ipſe interpretatur: *Malum in ſua natura,* ita ut ejus naturæ repugnet verti in melius. Nam pravitas Tyranni in fine includitur, & differentia bonarum vel malarum rerumpubl. non aliunde, quam à fine petenda eſt, ut *in Polit. lib. 1 c. 7.* oſtendimus. Immeritò enim Barclaius *lib. 4. de regn. c. 10.* reprehendit Brutum, quod Tyrannum per vitia opponat regi. Nam licet non quævis vitia conſtituant & ſegregent à Rege Tyrannum, tamen Tyrannus à rege non differt, niſi fine, ut paulò poſt dicemus. *Rex eſt,* dicente Auſonio, *non qui dominatur,* ſed qui rectè agit. E contrario ab hac rectitudine deficiens, abit in viam Tyranni. Nec moramur, quod objicit Barcl: *At probitas non confert regnum: ſed ſucceſſio: Ita nec vitium tollit idem.* Bouderius *in compend. conc. t. 9. art. 1. t. 11. a. 31.* Nam ſucceſſio non facit regem ſed tanquam legitimus modus acquirendi, confert poteſtatem legitimè, quaſi ſucceſſor abutatur, non obſtante legitima ſucceſſione vel electione, Tyrannus evadit. Duplex enim eſt Tyrannus, *in Titulo,*

II. *Deſinitio Tyranni.*

Tyrannus a rege differt fine.

Titulo, qui nullo modo legitimo Rempubl. ſibi ſubjugat, & *in exercitio*, qui, licet legitimè & bono titulo auſpicetur imperium, malè tamen utendo illud convertit in Tyrannidem, quia poteſtates & imperia diſtinguuntur non aliter, niſi ex fine, quem cum ſibi præfixum habeat Tyrannus privatum, adeoque malum, conſequens eſt, ut ipſe quoque malus ſit, & à recta regis virtute degener.

Omnis Monarcha imperat ſine provocatione.

Optimè verò notat Thomas, quod aliis in mentem non venit, hæc verba: *Nulli ſubjacens legibus*, quæ reddidit Giphanius *d.c. 10. Sine provocatione*, non conſtituere partem definitionis, ſeu notam eſſentialem Tyrannidis, pro qua eam accipiunt Giphan & Scapul. *ad. d. c. 10.* Ludovvic. Valent. *in Epit. onc uſ. lib. 4. Pol.* Tholoſan. *6. de Republ. c. 18. nu.* 10. Smitius & Ioh. Buden. *lib. 1. de Rep. Angl. c. 7.* ſed circumſcribere tantum genus, ut intelligatur æqualis poteſtas Regis & Tyranni, quia, dicente Thoma, propterea dicit Ariſtot. Tyrannum & Regem eſſe contraria, quia *ſicut in regno principatur unus ſecundum voluntatem ſuam & ratione ordinata ad utilitatem ſubditorum. Sic in Tyrannide principatur unus ſecundum voluntatem ſuam, ſed ſecundum utilitatem privatam. Species fortunæ ac licentia ipſa par eſt Tyranno & regi*, inquit Sen. 1. *de Clem. c.* 11. & ipſe Ariſtot verum Regem à regibus ſecundum legem diſtinguit ex eo, quod verus Rex gubernat, ſecundum *voluntatem* ſuam, *3. Polit. c. 12. & 13.* ſeu *manu* ſua, ut loquitur Pompon. *in l. 2. de orig. Iur.* alter autem ſecundum præſcripta legum. Thomas enim Morus *in ſua Republ*: potius vult cauſas committi decidendas arbitrio boni principis, quam judicio legum: Abſit verò eum Tyrannidem in ſua Republ: efformare voluiſſe putemus. Quod igitur eſt de eſſentia omnis Monarchiæ, non debet pro nota ſingulari Tyranni venditari, ſed ſicut Tyrannus commune nomen Monarchæ participat, ita communem ejuſdem participat eſſentiam, quæ conſiſtit in imperio ſummo ſine provocatione. Hoc verò limitatur in Tyranno per adjunctum vitium ex pravo fine, ſcilicet ſtudio commodi privati depromtum.

Tyrannus dominatur invitis.

Ex quo ſequitur neceſſariò, Tyrannum eſſe peſſimum, & per conſequens non poſſe dominari, niſi melioribus aut æqualibus, quia pejor creatura Tyranno non datur. Cumque contra naturam rerum ſit, ut meliores ſubijciantur deterioribus, meritò colligit Ariſtot: Omnem Tyrannidem eſſe violentam, quod vocabulum Lipſius *l. 6. c. 5.* malè producit ad genus, tanquam partem, tum quia poſterius eſt natura Tyranni & proinde in definitione non aſſumendum, tum quia pertinet ad eorum propriorum claſſem, quæ non reciprocantur, quia multa exiſtunt regna

regna

Digitized by Google

regna violenta quæ Tyrannica dicenda non ſunt, utpote, quando Boni dominantur pejoribus, aut jure belli ſubjugantur populi inviti & libertati injuſtæ aſſueti. Propterea non rectè explicuit Laertius *libr. 3. in Pla:*: mentem Ariſtot: quando ab eo Tyrannum definiri ſcribit, qui per vim civibus imperat, quam definitionem retinuit Smith: *1. de Rep. Angl: cap.7.* & ſequuntur omnes illi, qui legitimum non cenſent eſſe imperium, quod à conſenſu populi non dependeat. Alphonſ: à Caſtr: *lib.1. de pot. leg: poen: pag: 1.* Vaſq: 1. *Contr: c. 47. num: 1.* 12. Covarr: *pract: qq. cap. 1.* Injuria etiam eandem flagellant Bodinus *2. de Rep. cap. 5.* quaſi perperam ab Ariſtotele traditam cum Tyrannus ſtatim non ſit, qui contra voluntatem populi quid imperat, aut ab invitis tributa & vectigâlia extorquet. Nam una quidem actio Tyrannica non magis ſufficit ad Tyrannum conſtituendum, quam una actio juſta ad juſtum virum. *2. & 5. Eth*: Ariſtoteles verò, non unam aliquam, ſed omnes actiones Tyranni tradit eſſe violentas: Ita verò hoc attribuit Tyranno, ut omni quidem Tyranno competat, ſed non ſoli, quemadmodum ſubſtantiæ: *Non recipere magis & minus, & eſſe ſubjectum.* Sæpe enim ſuo vitio ſubditi etiam à bono principe deficiunt, poſtquam vel ætatem ejus, vel infortunium, vel lenitatem deſpectui habere ceperunt, quod ſibi quidem in Scotia, cum regnum nimia comitate ſibi confirmatius reddere ſperaret, accidiſſe, luculenter teſtatur Jacobus Rex *libr. Baſil: Dor*: & diſſolutus populus, licentiæque Democraticæ aſſuetus, ſeveras leges nunquam, niſi invita cervice, ſubire ſolet.

Quoties à Cyro defecerunt Babylonij, & Lidij? Herod. *lib* 1. Iuſt: *lib.* 1. quoties à Carolo M. Saxones? adeò ut Monachus Egoliſm: *in vita Car. M.* & alius Annaliſta à Pithæo *editus ad an. 793.* eos rebellionem in conſuetudinem & morem vertiſſe ſcribat. Quoties ab Ottone I. Itali & Romani, nec non à Friderico Barbaroſſa? Galli ab Eduardo III. & Henrico VI? Abſit verò omnes hos principes inter Tyrannos concludamus propter inobedientiam ſubditorum. Non ex parte principum ſtetit, quo minus pacatè imperarent, ſed ex parte pervicacium ſubditorum, quorum inobedientia principibus fraudi eſſe non debuit.

Poſtquam, quid ſit Tyrannus, patuit, ut diſtinctè rem propoſitam decidamus, cum Bartolo *in tr. de Tyr*: diſtinguendus eſt, qui *in Titulo* dicitur, & ſine legitimo titulo alienam majeſtatem uſurpat, ab eo, qui legitimè quidem poteſtatem in ſe tranſtulit, ſed ad deſtructionem Reipublic: Tyrannicè convertit, & hinc dicitur Tyrannus *in* 12. *De abdicatione Tyranni in Titulo.*

 Exerci-

Digitized by Google

Exercitio. Uterque enim publica commoda poſtponit privatis, & præ his deſtruit illa. De priori plana eſt, & ſine difficultate deciſa apud omnes, quod ſine peccato repelli poſſit, aut ſi per vim ſolium conſcenderit, licitè inde detrudi, quia legitimam poteſtatis micam nullam habet, cui obſiſtere non liceat metu DEI aut propter conſcientiam, & præterea non alio, quam hoſtis loco eſſe debet, &

Juſtus in hoſtem Fert dolor. Virg: 8. Æneid.

Chæreas interfecto Cajo magnificum perpetraſſe facinus credebatur, ſed id vitio ipſi vertebatur, quod perfidia gloriam quam inde ſperare debuiſſet, extinxiſſet. Joſeph. 19. *Antiq. c. 31.* Nullus verò perfidiæ aut ſceleris metus, ſi Tyrannus in titulo dejiciatur cui nemo obligatur. Et hoc probatur ex ſacris literis *Iud. 3. & 4.* quæ exempla aſſerunt Lucas de Pena *in l. ult: verſ: porro Tyrannum. C. ut armor: uſ: inſc. prin. interd.* Gail 2. *obſ: 61. num. 9.* ſed malè accommodant ad Tyrannum & Tyrannicidas quoſcunque, quia Eglon, qui injuſta ſervitute, permittente Deo, premebat populum Iſraëliticum, in ædibus ſuis, quæ unicuique tutiſſimum debent eſſe perfugium, aſtu trucidabatur ab Ehudo, quem Deus populo ſuo præfecerat: Ideoque nec ipſe ſubditus erat Moabitæ, niſi per vim injuſtam, nec Eglon legitimus princeps, ſed Tyrannus in titulo quia licet Deus per hujus manum viſitaret peccata populi, ipſe tamen juſtam cauſam cogendi populum in ſervitutem nullam habebat. Pari ratione, cum Siſſera viginti annos in ſervitute populum eundem de mandato Jabis, regis ſui, exerceret, & Debora Baracum ad jugum excutiendum animaret, non defecerunt à legitimo principe, ſed injuſti tituli Tyranno & Siſſera interfectus fuit, non à quoquam de numero ſuorum ſubditorū, ſed à Jaële, uxore Heberi, quæ nec Iſraelitarum nec Cananitarum imperio continebatur, *Iud. c. 4.* & proinde laudatur à Debora, licet dolo uſa fuiſſet quia cum ſubdita non eſſet, ad fidem non obligabatur, *Iud. cap. 5. v. 24.* Probant igitur hæc exempla arma ſumta in Tyrannos in Titulo, ſed non à ſubditis verum aut ab extraneis, aut ab injuſtè oppreſſis.

13. *Quid? ſi mutetur in juſtum principem.*

Si verò Tyrannus in Titulo, legitimum Regem ſe præſtet in Exercitio, & malum titulum bono regimine expiaturus, malè occupatam Remp. bene adminiſtrare incipiat, an tum non hoſtis, ſed legitimi principis loco habendus erit? quemadmodum Pelopidas nitebatur Alexandrum Pheræum Tyrannum in juſtum mutare principem, Plut. *in Pelop: ad fin.* & Piſiſtratus non minus ſe ſubjecit legibus Solonis, quam quivis alius civium, ut Solonis in Tyrannidem ſuam conſenſum promereretur, quem is, quantumvis humiles & plenas abjectionis literas ſcribenti

Digitized by Google

ſcribenti planè denegavit. Laert: *in Sol:* Nam non tantum ipſe leges non mutavit, ſed ne & alij quid in eas tentare auderent, ſeriò, ſancivit, imò homicidii cauſa in jus vocatus apud Areopagitas, libenter & modeſtè ad dicendam cauſam aſſuit. Leges item utiles permultas legibus Solonis addidit, de vitando otio, & diligentius colendis agris, de publicè alendo eo, qui membrum in militia perdidiſſet, quæ nihil minus, quam Tyrannidem ſapiunt. Breviter ejus ingenium ſic depinxit Plutarch. *in Sol. Erat in colloquio blandus, juvandorum pauperum ſtudioſus, circa inimicitias moderatus; præterea, mutatione eorum, quæ natura ipſi non aderant, effecerat, ut probitatis ac modeſtiæ opinione eos etiam, qui revera tales erant, vinceret.* Plut. *in Sol.* Eodem conſilio Sylla, quanquam Tyrannicè & libidinosè viveret, cives tamen ad frugalitatem, modeſtiam, & honeſtatem optimis legibus, quarum uſus ne nunc quidem in imperio Rom. eviluit, compoſuit: Plutar. *in Syll.* & Artevellius, Gandavenſium per ſeditionem creatus moderator, licet per vim jura civitatis in ſuas ædes contraxiſſet utiles tamen leges tulit, de præſcindendo luxu, de claudendis tabernis, & Reipubl. de pluribus rebus neceſſariis proſpexit. Froſſard. *lib.* 1. Manus verò populi non magis effugit, quam Julius Cæſar Bruti & Caſſij, licet *ex victoria,* dicente Seneca. *3. de Ira. c. 30. nihil ſibi vindicaverit, niſi diſpenſandi poteſtatem.* Quem ut juſtè cæſum fuiſſe evincat Sueton. *in Cæſ. c. 76.* in longum ſe diffudit ambitioſorum facinorum catalogum, & inſolentiam ejus exaggerat, qua cenſet ſecures libertati aſſuetorum civium ſibi in caput detraxiſſe, quaſi abſque inſolentia fuiſſet, non potuiſſet vel hoc ſolo nomine à Reip. gubernatione depelli, quod libertatem patriæ proditoriè eripuiſſet. Martyr. *in Iud. c. 3.* Gent. *diſp. 3. de Pot. abſol.* ex alio capite putat, excuſandos Cæſaris interfectores, quod Cæſar tantum Magiſtratus aut Dictatoris munere functus fuiſſet, ſicut diſputat Bodin. 2 *de Rep. c. 5.* Ex nomine principis, de primis Rom. Imperatoribus uſque ad Maximinum, judicandum, tanquam de Ducibus Venetorum & Genuenſium, cum tamen lege regia omnem poteſtatem nacti, & ea liberaliſſime uſi fuiſſent, ut conſtat ex Senec. 1. *de Clem. in pr.* Et nihilominus rectè feciſſe judicati ſunt conjurati, quia Cæſar, licet principem & Dominum Reip. ſe feciſſet Tyrannus tamen erat in titulo, proditor patriæ, & injuſtus alienæ libertatis poſſeſſor, quod vitium nulla modeſtia, nullis bonis legibus corrigere aut delere poterat Nec enim *Tyrannicæ factionis perverſitas laudabilis eſt, ſi regia clementia Tyrannus ſubditos tractet,* ut ait Auguſt. *c. neq; enim* §. 14. *q. 5.* Nec expiat fœnus uſuram, qui ex fœneratis liberaliter dat pauperibus.

ribus. *Dona iniquorum non probat altiſſimus nec reſpicit in eorum oblationibus, nec in multitudine ſacrificiorum, eorum propitiabatur peccatis. Qui offert ſacrificium, de ſubſtantia pauperis quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui. Eccl. 34 c. Immolans. c. Forte. c. denique. c. ſcriptum eſt. 14. q. 5 c. in gravibus. 5. q. 7.* Nec excuſatur à crimine Simoniæ, qui ex pecunia contracta, monaſteria vel Xenodochia excitat, quia *hoſtia impiorum abominabiles ſunt Domino quæ offeruntur ex ſcelere. Quicquid in Dei ſacrificio ex ſcelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, ſed irritat.* Scriptum eſt: *Proverb. 3. Honora Deum de juſtis laboribus tuis. Qui ergo male tollit, ut quaſi bene prebeat, cõſtat, quod ſine dubio Dominũ non honoret. c. non eſt putãda. 1. q. 1* Scelus enim nulla coaleſcit virtute, & iniqua fuit liberalitas Syllæ, quando ex bonis iniquè proſcriptorũ magnifica populo exhibuit cõvivia, injuriã aliorũ, aliorũ beneficiis obſcuraturus. Plut. *in Syll.*

14. *Aut conſenſum populi ſibi elaboret.*

Quæritur item, utrum Tyranni macula elui conſenſu populi poſſit, ut ex poſtfacto valeat, quod nullum fuit à principio, ſicut Sylla in annos 80 curavit ſe creari Dictatorem. Cæſar in perpetuum, & Herodes poſt triginta unum annos demum populi conſenſum elaboravit. Philo *in Breviar. de temp.* Joſeph. *17. Antiq.* Wilhelmus I. qui primus ex Normannis Angliam ſibi ſubjugavit, Juramentum præſtitit Archiepiſcopo Eboracenſi, ut publica inunctione ipſius & populi conſenſum obtineret. Satis enim cautum regno ſuo putabat, ſi prætextum aliquem publicum conſenſus popularis, pro jure ſuo laudare poſſet. Dunelm. Malmesbur. *in Wilh.* Conſenſum ſpontaneũ quidem in dubium non vocamus, ſed qui à Tyrannis exprimitur, pro ſpontaneo haberi non poteſt, cum voluntas coacta, voluntas non ſit. *tot. t. ff. quod met. cauſ.* Preces verò vel rogationes principis juſtum metum inducant, *ut notat. gl. in l. 1. verb. Quemadmodum. ff. quod juſſu.* Imprimis ſi princeps ſit ſeverus vel Tyrannus. Joh. Andr. & Abb. *c. inſinuante. Qui clerici. vel Card.* Pariſ. *conſ. 5. n. 81. lib.* 4 Hipp. de Marſ. *ſing. 645.* Gigas *de crim. Majeſt. rubr. de Rebell. q. 4.* Potentum enim preces juſſa ſunt, & juſſa inducunt rationabilem metum vel neceſſitatem. *§. pen. Inſt. de Attil. tut.* Abſque metu verò, ſi populus, ad exemplum Romani, deponat omnem poteſtatem in principem, aut conſenſum tacitum confirmarit præſcriptio immemorialis, quæ vim habet privilegii, acquieſcendum eſſe conſilio illorum, qui cenſent inveteratas cauſas non eſſe renovandas, alibi prolixius deduximus.

15. De Tyranno *in Exercitio* dubitant, idem ſc. quod à Republ. abigi poſſit, aſſerere nonnulli, ut Tholoſ. *lib. ult. de Republ. c. ult.* Barcla. *lib. 6. c. 19.* Bodin. *lib. 2. c. 5.* quorum rationes non aliò eunt, niſi ut demonſtrent,

propter

propter legitimam ſucceſſionem, in Tyranno manere poteſtatem legitimam, & proinde ſubditorum obligationem. Sed nec eo in caſu rectè diſcernunt Tyrannum à principe degenerante. Saul enim licet conſcium conjurationis Abimelechum, cum 80. Sacerdotibus crudeliter trucidaſſet Davidi contra mandatum Dei & præter meritùm infeſtus eſſet, tandem etiam, deſperatis rebus omnibus ad veneficia confugeret: Nabuchdonoſor, licet Judæos jure belli captivos abduceret, & ſtatuam adorari juberet, quod erat Idololatricum tamen, quia Rempubl. dedita opera deſtructum non ibant, neuter conſummatis Tyrannis accenſendus venit. In Tyranno enim, quam legitimam nactus erat, poteſtas malè agendo perit, & nihil omninò obtinet à Deo, tanquam à cauſa conſtituente, cujus ratione ſubditi maneant, tanquam ex jure divino, obligati ad obedientiam Legitimæ enim poteſtati propter Deum & conſcientias obligamur: In Tyranno verò nihil eſt legitimum, nihil ordinatum à Deo, ſed omnia Deo adverſa, & Reipubl. detrimentoſa. Nec obſtat, quod Barclai: objicit *lib. 5. c. 19.* Sua re poſſe quemque & uti & abuti. *l. ſed et ſi 2. §. conſuluit. l. ſi quid poſſeſſor. 31. §. ſicut de pet. hæred.* quia rei quiſque ſuæ moderator eſt & arbiter. *l. in re mandata. 21. C. mand.* Nam nec re ſua privata quiſquam abuti poteſt directe in præjudicium Reipubl. *jus publicum de pact.* cujus exempla ponit Corraſ. *lib. 7. Miſc. c. 20. & in l. ſi quis pro eo. de fid-juſſ. ex verſ. conſideravimus. Nov. 8. ex l. ſervum quoque §. publicè. de procurat.* Disertè enim Reipubl. intereſſe dicitur, ne quis ſua re malè utatur *§. penult. De iis, qui ſunt ſui.* Reſpubl verò non eſt ita de proprietate principum etiam hæreditariorum & abſolutorum, ut res privatæ, cum inde dicatur publica, quod ad omnes pertineat. Traditur enim prinicipi in eum finem, ut illi præſit ad ſalutem omnium, à quo ſi prorſus deſciverit, etiam de poteſtate cadit, quam non alio fine ſibi commiſſam habebat. Vide Thom. 2. 2. *q. 24. art.* Bartol. *in tr. de Tyran.* Anton. *in ſum. t. 4. c. 8.* § 1 Laudenſ. *in tract. de prim.* §. 3. Sot. *de juſt. & jur. lib. 1. q. 6. art. 4. l. 4. q. 4. art.* Dd. *in l. decernimus. C. de ſacroſ. Eccleſ.*

Patet ex dictis: Tyrannum conſummatum & notorium, contra quem non datur aliud remedium vel à ſubditis ipſis poſſe à Republ. amoveri, (nam de cæde ejus relinquimus rem piis animis conſiderandã, aut ex Theologorum ſcholis petendam) ſine magno ſcelere. Interim, ut excluſio illa excuſari poſſit & tolerari, quemadmodum ſupra de ſeditione pro liberatione Reipubl. diſputavimus; lege tamen ſubditis vel concedi vel imperari, nedum præmiis affici, non debet nec tam crudeli remedii genere utendum, niſi extrema neceſſitas id exegerit; quia Extrema 16.

 trema

trema remedia extremis tantum morbis applicanda, ut ait Hipp. *1. Aph. 6.* cum nunquam adhibeantur ſine pernitie & gravi vulnere corporis. Crudelis autem Medicus, qui ut dolorem ſopiat, caput, unde principium ſenſus & doloris, ſtatim abrumpendum ſibi putet, & non potius dolorem anodynis temperandum. Præterea, licet Deus non ſuſtentet Tyrannos, quibus exitium ubique minitatur, prout ſuſtentat poteſtatem legitimam à ſe ordinatam: tamen non dubium eſt, quin peccata ſubditorum puniat ſævitia principum, *Iob.34. Proverb.28.* Guerrer. *in Spec. pr. c.16. n.6.* Vaſq. 1. *Contr.21.n.14.* de quo ſcribit Irenæ. *lib.9. adverſ. Va.en.* *Quidam Regum ad correctionem & utilitatem ſubditorum dantur à Deo, & conſervationem juſtitiæ. Quidam ad timorem & pœnam & increpationem. Quidam autem ad illuſionem & contumeliam & ſuperbiam, quemadmodum & digni ſunt Dei juſto judicio in omnibus ſuperveniente.* Sicut igitur Luther. rectè dixit; Fruſtra à nobis pugnari contra Turcam, niſi cauſam victoriæ toties de nobis relatæ prius amoliti fuerimus, hoc eſt, niſi peccata prius noſtra expiaverimus, *de capt. Babyl.* ita operam ſæpe ludimus, dum temerè Tyranni jugum excutere quærimus, nec vindicem Dei manum prius emollire ſtudemus. Ad principes enim accommodari poteſt, quod Euariſtus tradit de Epiſcopis. *Ep.2. ad Epiſc. Ægypt.* inquiens. *Non eſt à plebe aut vulgaribus hominibus arguendus, aut accuſandus Epiſcopus, licet ſit inordinatus, quia pro meritis ſubditorum, diſponitur à Deo vita rectorum.* 1. 2. q.7. Bene Tacitus. *4. hiſtor. Quemadmodum ſterilitatem, aut nimios imbres & cætera naturæ mala, ſic luxum & avaritiam dominantium tolerare debemus.* Morbos item patienter ferre cogimur, donec idem proficua monſtret remedia, qui meritum inflixit vulnus, idem erigat, qui dejecit. Nam remediis quidem à Deo productis & conceſſis piaculum non eſt uti Chriſtiano homini, licet morbi non graſſentur ſine conniventia Dei: ſed iis ſolis velle pugnare, non exorata prius divina clementia aut plus iis tribuere, quam divino auxilio, id demum in Aſæ præpoſtero ordine reprehendit propheta. *2. Paral.16. in fi.* Quin etiam ejecto uno Tyranno novus plerunque ſuccedit multò deterior, quemadmodum Anus Sicula pro Dionyſii, cujus interitum omnes alii avidis votis expectabant, ſalute quotidiè orare ſolita, cur id faceret contra totius civitatis vota, à Tyranno rogata: *Ne*, inquit, *ſi tu fueris abſumptus, deterior in locum tuum ſuccedat. Bonus ſæpe mali* ait Valer. *lib.6.c.2.* ubi hæc narrat, *rarò meliores ſuccedunt*, & Senator apud Tacit. 4. *hiſt. An Neronem extremum Dominorum putatis? Idem crediderunt, qui Tiberio, qui Caio ſuperſtites fuerunt, cum interim inteſtabilior & ſævior exortus eſt. Vitia* enim *erunt*,

donec

Digitized by Google

donec homines, ait Tacit. *ibid.* & *Dignè indigniorem recipiunt, qui indignum indignè ejicere præſumſerunt*, ait Gregor. *lib. 4. expoſ. in lib. Reg* Denique minori ſæpe periculo toleratur Tyrannus, quam ejicitur. Oſtendit enim Cardan. *in orat. pro Ner.* pauculis poſt necem Neronis menſibus plus ſanguinis Romani, trium Imperatorum inteſtinis præliis fuſum fuiſſe, quam totis quatuordecim annis, quibus Tyrannis ejus Reipubl. incubuerat, idque ſubobſcurè innuebat Marius cum diceret, ſui necem luctuoſam futuram Re publ Cic. 11. *fam. Ep.* 28. Rarò quippe, ait Tacit *lib.* 4. Ea moles convelli ſine convellentium exitio poteſt. Nunquam enim tam profunde & radicibus imis eruitur Tyrannis, quin ex reliquiis ultor renaſcatur, & ex favillis non probè diſperſis novum excitetur incendium, quod ſi non abſumat totam Remp. bonam tamen ejus partem pervadere, & ac quiſitis viribus, in diſcrimen maximum belli civilis conjicere & ſolet & poteſt Quam verò civile bellum funeſtius ſit Reipubl. quam injuſtum imperium, apud Plutarchum legere licet *in Bruto*.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

Proponitur ſtatus controverſiæ, & præmittuntur fundamenta, ad eam cognitu neceſſaria.

SUMMARIA.

1. *Enarrantur autores, contra quos hæc diſputatio præcipuè directa eſt.*
2. *In hac diſputatione non comprehendi peregrinos, qui non ſint ſubditi.*
3. *Utrum ſubditis liceat rebellionem excitare contra principem.*
4. *Alij principes conſtituuntur ex pacto mutuo inter ſe & populum.*

5. Alij

5. *Alij abſolutè ſine limitatione tranſeunt in jura regia.*
6. *Subruitur fundamentum adverſariorum, quo probant populum & Regem eſſe duos correos promittendi, & hinc tam incumbere populo curam religionis, quam Regi.*
7. *Subruitur alterum, quo dicunt inter principem & populum ſemper inire pactum expreſſum vel tacitum, ut non obediatur, niſi bene Imperanti.*
8. *Judæis nunquam conceſſum fuit arma capere contra Reges legitimos.*
9. *Ab una Republ. particulari, ad quamvis aliam non valere conſequentiam.*
10. *Evertitur aliud fundamentum, ex natura conſtituendi & conſtituti deductum.*
11. *Non omne quod conſtituit, ſuperius manet conſtituto.*
12. *Non omne imperium acceptum referendum eſt arbitrio.*
13. *Refutatur aliud argumentum, à Vaſquio in medium propoſitum.*
14. *Non præſumitur in conceſſione poteſtatis populus ſibi retinuiſſe jus revocandi.*

CAPUT II.

Probatur autoritate ſacrarum literarum: In principem impium & injuſtum non licere ſubditis arma capere, & rejiciuntur obratiocinationes Adverſariorum ex iiſdem deductæ.

SUMMARIA.

1. *Aſſertio adverſariorum turbat quietem Reip & implet eam injuſtis ſeditionibus.*
2. *Non tantum bonis, ſed & malis principibus obediendum ex præcepto Apoſtolorum, contra effugia & reſponſiones adverſariorum.*

3. Etiam

Digitized by Google

INDEX.

3. *Etiam degener princeps, quatenus poteſtate utitur legitima, dependet à Deo propter quam ipſi obtemperandum eſt.*

4. *Argumentum ex defectione Idumæorum & Libnenſium refutatur.*

5. *Imperatores Orientis nullos fuiſſe depoſitos à populo, propter pravas de religione opiniones.*

6. *Juſſu ſacrarum literarum & exemplis primitivæ Eccleſiæ orandum etiam eſt pro pravis principibus, nedum, ut contra eos hoſtiliter machinari liceat.*

7. *Pravis principibus obediendum eſt in ijs, quæ ſunt principum, non in ÿs, quæ ſunt Dei aut contra Deum.*

8. *Imperantibus contra Deum non quidem obediendum, ſed nec reſiſtendum à ſubditis vi & armis illicitis.*

9. *Exemplo Jeremiæ captivi demonſtratur, jurisdictionem non fuiſſe penes principes populi ſeu optimates, ſed penes ſolum Regem contra Brutum.*

10. *Jojakimum Regem non fuiſſe judicatum à Synedrio, propter homicidium Uriæ prophetæ, contra eundem.*

11. *Licet non ſit vi reſiſtendum impiis principibus, fas tamen eſſe, ſupplicibus literis apud eos intercedere.*

12. *Aut ſi nihil profuerint etiam preces, fugam à religione eſſe conceſſam.*

13. *Iterum probatur tota aſſertio teſtimoniis & exemplis primitivæ Eccleſiæ ſub Conſtantio, Juliano, Valente, Valentiniano, &c.*

14. *Rebellionis pæna & clades ſolet in ipſos expetere ſubditos.*

15. *Probatur pars altera, quod ſi non in Idololatram, multò minus in aliis vitiis infectum principem vi inſurgere liceat ſubditis.*

16. *Davidem abſtinuiſſe manum à Saulis ſacroſancto corpore, non ex perfectione charitatis, ut Pontificÿ obijciunt, ſed ex debito mandati.*

17. *Enarrantur ſententiæ autorum, qui nobiſcum idem in hac quæſtione docent, ſentiunt, & decernunt.*

Digitized by Google

18. *Reijcitur aliud Buchanani effugium, diſtinguentis inter poteſtatem & perſonam ea utentem.*

19. *Vtrum Paul. Rom. 13. loquatur tantum de poteſtate juſta, & moderata.*

CAPVT III.

Deducitur ex lege naturæ & principiis Politicis, ſubditos non poſſe imperium uſurpare in principes abſolutos.

SUMMARIA.

1. *Rebellio ſubditorum invertit ordinem naturæ.*

2. *Princeps debet tutus eſſe à vi ſubditorum, ut pater, & ut caput magiſtratuum, quos aliàs gentium conſenſus tutos facit.*

3. *Cædes principis gravior parricidio.*

4. *Utrum ſubveniendum ſit patriæ contra principem.*

5. *Princeps non tantum eſt tutor & adminiſtrator Reipubl. qui abigi poſſit propter ſuſpectam tutelam aut malam adminiſtrationem, ſed etiam quodammodo poſſeſſor.*

6. *Princeps nequit judicari à ſubditis, ut nec patronus à Clientibus.*

7. *Utrum ſubditis fugere liceat à ditione regum ſævientium, ut ſervis ad ſtatuas, auſteri imperii vitandi gratia.*

8. *Diluuntur argumenta petita à Vaſallis & Monachis, reſpectu Dominorum ſuorum aut Abbatum.*

9. *A minoribus magiſtratibus non eſt inferendum ad ſummum principem.*

10. *Utrum ſeditiones contra malum principem juſtæ ſint & in Republ. vel præcipiendæ vel tolerandæ.*

CAPVT IV.

De Tyranno, quid ſit, qua in re differat à legitimo principe, & Utrum à ſubditis ſive conjunctis, ſive ſingulis poſſit à Republic. ſecludi.

SUMMA-

Digitized by Google